Jacob de Roma

Manuel
de Mel

Gregorio

Por Dn. Fran.co Xiqh Baquero Salazar Ayuf. del Pedro de Cordoba

SANCTISS^MO AC BEATISS^MO PATRI ET DN. VRBANO OCTAVO PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

BERNARDVS IOSEPHVS ALDRETE, Almæ Cordubensis Ecclesiæ Presbyter Canonicus,

SEMPITERNAM FELICITATEM.

EATISSIME PATER,

Dominus DEVS NOSTER, cuius natura bonitas, hanc rerum vniuersitatem ex nihilo fecit. Faciendi ipse causa, quia BONVS, Bono cuiusque boni cum socio iucundior possessio. Fecit, & ornauit, opúsque suum fouet,& seruat, nec destituit. Ipsius Prouidentiâ, nutu, & arbitrio cuncta reguntur. Temporum, rerúmque vicissitudines, repentini etiam euentus temperantur, & diriguntur. Mirâ varietate, citiùs, vel tardiùs, pro vt expedit, disponit, & omnia moderatur. Hanc diuinam PROVIDENTIAM sapienter Seneca probat; asserunt Stoici, & Platonici, aliíque Philosophi. At fuere, qui fortiter abnuerent, multorum auctoritate confisi, & *fatidicam anum Stoicorum* appellarent. Hos Beatus redarguit Augustinus. Li. 5. de ciuit. Dei.

Huius tamen impietatis Charybdi CHRISTI D. N. lumine illustrati nauim non applicant, sed tutissimo Prouidentiæ portui. Is validissimis

diſſimis ſacri eloquij ſeptus montibus, & Patrum aggeribus nullo ſtolidorum fluctuum veſano turbatur impetu. Eam diffiniuit Damaſcenus. *Prouidentia eſt diuina voluntas, ſiue ſententia, per quam omnia, quæ ſunt, conuenientem ordinem, & regimen habent.* Quanti ſit momenti, expendit
Lib.1. Strõ. Alexandrinus Clemens. *Videte*, inquit, *ne quis vos ſeducat ab fide in CHRISTVM, per philoſophiam, & inanem deceptionem, quæ tollit Prouidentiam, quæ eſt ſecundùm traditionem diuinam philoſophia, & conſtituit, & confirmat Prouidentiam. Quâ ſublatâ, videtur fabula œconomia Saluatoris*, &c. *Quæ eſt CHRISTO conſentanea, & opificem Deum eſſe aſſerit, & deducit Prouidentiam vſque ad ſingularia.* Singula enim quæque motu, loco, forma, tempore, diuinæ mentis proſpectu digeſta, & diſtributa componuntur, & artificioſo, non generatim tantùm, ſed ſpeciatim, & nominatim diſponuntur ordine. Diuina illa, ſubtiliſſimáque Maieſtas minimè minutiſſimorum inſectorum, nedum hominum perfectioni, conſeruationi, & adminiſtrationi dedignatur proſpicere.

Eius pulcherrimæ formæ, quaſi imagine concluſum ſeſe nobis offert compendium. In exemplum non aliud delineo, quàm quod iconicωs expreſſum Sancti Martyres BONOSVS & MAXIMIANVS ad viuum repræſentant. In eo, BEATISSIME PATER, videbis, quàm prouidè proſpex illa TIBI, TVIque Apoſtolatus cognitioni, cenſuræ, & iudicio horum Martyrum prodigiis, & ſignis collucentem inuentionem deſtinauit. Hæc eſt omnium nunc pietas: tunc nobis certiſſima, ſi à BEATIT. TVA probata, ſtabilitaque fuerit.

Multis eluſus ſæculis viliſſimo velatus velamine ingens hic latuerat theſaurus: TE Sacræ Catholicæ Eccleſiæ clauum tenente promendus. Hócque ipſum, oppidi, in quo iacebat occultus, tenebroſa obſitus caligine, ratione, & denominatione, (vti ego exiſtimo, ni fallor) videtur deſignatum.

Priſci illi, qui ex Atturia hanc in vltimam commigrarunt Heſperiam, varias ſibi, quas incolerent, idoneis in locis delegêre ſedes. Labentibus ſæculis vrbes, oppida, caſtra, & vicos condiderunt. Ex propriâ proximâ Chaldaicæ dialecto analogωs, & quâdam rerum conuenientiâ, & proportione colonias indigitarunt. Oppidum cum caſtro eminentis collis in vertice condituris auſpicatò omen, & nomen indere fuit ſententia, Vrgabóque vocatum. Non caſu, non fortuitò id factum, ſuperno ſanè impulſu: aliò diuina, aliò humana proſpiciebat mens. Ab hac lumen excelſum dictum, quòd vicinis montibus, & agris, eorúmque illuceret colonis. Ab illa verò, vt in nomine quaſi ſigillo eſſet impreſſum, fore, vt aliquando munitio illa ciuibus eſſet luminoſis illu-

ſtranda:

ſtranda: illuſtrandíque ipſi ab eo, qui illius, qui *lux eſt mundi*, vices gerit in terra.

V R Aſſyriis ignis eſt, ab eo eductus Abrahamus à Domino. V R, ſiue, vt aliis placet O R, Lux eſt, fauor, gratia, vita, auxilium, hilaritas, adeóque ipſa Prouidentia, vt quæ rectrix, & moderatrix præluceat, & opitulétur vniuerſis. Huius vocis in ſacris literis frequens, multipléxque vſus. Inde V R I M in Pontificis pectorali. Gen.15.17.

Gabah porrò altus, ſublimis, & excelſus. Vt ignis ſublimè elatus in ſumma arce longè latéque fulgeret. Sed Beth temporis lapſu in Vau mutauit huic magis addicta lingua noſtra. Sæpè etiam Beth, per V, à peritis enuntiatur.

Eò illorum reſpectus. Superior tamen, vt mea eſt coniectura, Auguſtiſſimi T V I nominis initium præſtituit. In fine verò familiæ T V Æ clariſſimæ nobiliſſimum exhibet ſtemma: ideóque T V Æ gloriæ hæc omnia ſunt reſeruata.

Arabico quippe ſermone Chaldaici participe, G V B H A P I S eſt, & G A B A T Apiarius, & alueus. Atque ipſi Martyres nominis typum, & explicationem, quaſi in imagine repræſentarunt. Eorum quando concentus vti canorus meliſſarum bombus eſt auditus, proprio velut in alueario ſuſurrum reſonabant, ſéque Apes declarabant. Meam opinionem, & coniectaneam exiſtimationem apes confirmarunt: ſolitæ menſe Maio iam olim in Secretarium primarij Vrgauonenſis templi auolare, hoc etiam præſente aduenerunt, atque ſolicitæ in armarium, in quo Martyrum ſacra ſunt condita leipſana, penetrare ambiebant. Ad ipſas fores foramen & aditum ſolertes veſtigare curabant. Curant etiam nunc antiquiſſima ad lucem reuocata examina Regem vocare, & cum variis conclamant modis.

G V B H igitur vulgari locutione A P I S; cultiuè verò N A C H I L. Eſt etiam & P A L M A. Quid autem Apis ad Palmam? An quia ex palmulis mel, meliſſæque in ipſum auolant? Fluit maximè ex fructu, cùm eius exhuberat prouentus. Immò mundiſſimum animal, puriſſimam amat plantam. *Non aſſidet in loco inquinato, nec qui malè olet*: irritatur, & pungit impudicos, *odit turpes & impuros. Mira Apum mundicies: odêre fœdos odores, procúlque fugiunt. Vnde in primis præcipitur, vt lauti, & puri eximant mella.* Varro de re tuſtica lib.3.c.16. Plutarch. & Plin.lib. 11.c. 16. S.Cyprian. Ariſt.l.1.de hiſt. anim. c. 25. & de gen. anim. l.3.c. 16. & l.9.c. 40. Plin.l.11.c. 16. Virgil.l. 4. Geor. v. 198. Lact.1.

Apes neſciunt coniugium, nec fœtus nixibus edunt. Parthenia illis natiua integritas, ac quaſi iura vincant naturæ, victrices adcurrunt ad palmam. Pudori tamen intemerato ſoboles eſt abſque connubio. Rore paſcuntur. Oleæ flos, agnúſque caſtus cibus: ore proles legitur.

Digna

1. cap. 8. S. Ambr. l. 5. Hexaëm. c. 21. & de Virgin. li. 1. prope finẽ. *Digna virginitas, quæ apibus comparetur.* Ipſæ virginitatis pulcherrimum exhibent typum, cuius corona gneſia palma. His inuicem ipſis quædam mutui amoris phyſica inſita ſympathia. Adnatúſque quaſi familiari amicitiâ gratus conſenſus; háncque naturâ innatam neceſſitudinem ſermo expreſſit Chaldaicus. Qui arcano multa, myſticóque deſignat ſenſu, eúmque, ac latentem qualitatem vnico indito indicat, & declarat nomine. Nouit & ille meliſſas palmatis delectari deliciis, qui cecinit,

Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas.

Addítque,

Principio ſedes Apibus, ſtatióque petenda,
Palmáque veſtibulum, aut ingens oleaſter obumbret.

NACHIL itaque Apis, & Palma, quaſi alteram altera referat, & repræſentet. Si hæc victoriæ continet ſymbolum, cur non illa? Victoria pacis arbitra. Oleæ pax ſignificatur thallo, ciuéſque ſeruat. Ciues ſeruanti Ciuica quernis conſerta frondibus data corona. Meliſſæ his maximè oblectantur arboribus. Idem qui priores illas, hanc etiam extremam aſſignauit. De aureo canens æuo,

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Iterum,

E'que ſacrâ reſonant examina quercu.

Ex palmis coronas, earúmque celebritatem, & ingenuorum eſſe & Prin-
Lib. 1. c. 75. cipum, agnoſcit Artemidorus.

Pulchrè ex his plantis Apes coronantur. Tribus his redimitæ Sacerdotium innuere videntur. *Rectè comparantur Apibus Sacerdotes, quia ſicut caſtitatem corporis præferunt, cibum vitæ cæleſtis exhibent, aculeum legis exercent. Puri enim ad ſanctificationem, ſuaues ad refectionem, ſeueri ſunt ad vltio-*
S. Ambroſ. t. 5. ſer. 5. in variis. De Pindar. Ælian. l. 12. Var. hiſtor. cap. 45. de Platone Plin. l. 11. c. 16. De Oneſilo Herodo. l. 5. de *nem. Apibus planè ſunt comparandi.* Beatus diſſertat Ambroſius. Cui ipſæ Apes, & Sacerdotium, & ambroſiam portendêre eloquentiam. Muſarum ſunt volucres, nectareos Pindaro, & Platoni eloquij ſuauiſſimi prænuntiarunt amnes. Oneſibo Diuinitatem, Hieroni regnum indicaſſe olim creditum.

Apis palmam appetit. Huius puniceus color: ac quaſi purpura veſtit.

Poſt palmam palmata venit, decora omnia regni.

Atqui

Atqui TVVM gloriosè trina exornatur corona, tréſque Apes apicem ſummi Sacerdotij ac ſupremi principatus ſuper vniuerſam terram quaſi prænuntiabant. Ad eum Deus, & TVA merita, votáque omnium deſtinabant. Nunc verò pacem placidiſſimè prouides, ac ipſa MAIESTATE, & qua polles ſupernâ POTESTATE Victoria ſemper in manu, ſicut & pax, & populorum, & ciuium ſalus. Non auro gemmíſque tantùm conſerta TVA diademata fulgent, ſed etiam felicibus harum arborum frondibus plexa. Hierone Iuſtin. l. 24. & Artemidorus. Muſarum volucres Varro li. 3. de re ruſti. c. 16.

Nec prætermiſerim, Vrgauonis ab Arabe nomen luxatum, Argionáque vocata, cui etiam purpura eſt. Natiua minimè Martyres, ſed ſui ſanguinis oſtro purpurati etiam nunc conſpiciuntur, ac ex Argiona coccineo ſe eſſe municipio, séque olim proprio decoratos cruore victores triumphaſſe, quaſi clamant. Eumdémque Domino repræſentantes offerunt, ad ampliorem ſui nominis gloriam. Idiomatum horum idiotiſmi TIBI ſatis noti, compertíque ſunt, nec opus exemplis firmare. Firmo tamen in aliorum gratiam opportunè.

Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. Ad cuſtodiam planè condita, & abſcondita, vel minimus minimè periit ex his articulus: ſicut de capillis pollicitus eſt Dominus. In his condendis, & promendis emicuit mirificè eius Prouidentia. Eo ipſo, quo trux conatus eſt diſperdere, perſecutor ſeruarit, vt reſeraret illa. In præceps è turribus ſæua carnificum deiecit manus, vt combureret, & aboleret. In altam foſſam, quaſi foueam inter mœnia, & vallum proiecit. Fornacibus ibidem accenſis cremari curauit. Caminis ardentibus vſtulata diſſipauit & diſperſit. Lapidibus, ſaxis, teſtaceis fragminibus, morticinis obruit & beſtiis, vt confuſa, & mixta non dignoſcerentur. Nec hilum fanatica malignitas, maliciosáque profecit crudelitas. Superna diſpoſitione per tot ſæcula immota manſerunt. Admodum concinnè idem Clemens: *Etſi itaque diuinæ Prouidentiæ maximum argumentum, quòd non ſinat, vt vitium, quod ex voluntatis defectione ortum eſt, inconducibile maneat, & inutile, ſed nec ſit omnino noxium. Diuinæ enim Sapientiæ & virtutis, & potentiæ eſt officium, non ſolùm benefacere, (hæc eſt enim, vt ſemel dicam, Dei natura, vt ignis calefacere, & lucis illuminare) ſed illud quoque maximè, vt id, quod per malos aliquos excogitatum eſt, ad bonum aliquem finem, & vtilem deducat, & vtiliter iis, quæ videntur mala, vtatur.* Pſalm. 33.

BONOSVS, & MAXIMIANVS Martyrum Romano adſcripti ſunt catalogo. Acta eorum olim extitiſſe Beda, Vſuardus, Ado, & Epiſcopus Æguilinus aſſerunt. Non reperiri Scholiaſtæ affirmant. Auguſt. 21.

Vrgauone in Bætica ſub Daciono Præſide paſſos anno Domini trecenteſimo quarto, vel octauo, Flauij Lucij Dextri Chronici fragmenta notant. Eorum apud nonnullos nutat auctoritas. Plures tamen ſunt vindices,& propugnatores. Multis hi magníſque argumentis,atque ipſa veritate legitima eſſe,non ſpuria,non notha,euincunt.

In horum Martyrum honorem ad Romani Breuiarij præſcriptum, officium eſt recitatum. Quàm pretioſa eorum fuerit mors in conſpectu Domini,gratáque inuocatio,manifeſtè ipſe declarauit. Luminum namque claris coruſcationibus, variíſque ſignis, in quo eorum ſacra iacerent leipſana, cœpit indicare locum. Hic illa prorſus ignorata, ingentíque temporum vmbrâ,& obliuionis caligine ſepta tenebat. Nulla cum literis,vel traditione innuebant monimenta. Innuerunt autem cæleſtes luces,& faces,in ipſa arcis foſſa,ſordium colluuie, ſqualore, ſitúque obſita iacere. Eruderata aperuit oſſa,ſimul & cineres.

Ex his ſuauiſſimus ſæpè odor afflatus. Atque illa, quæ tetrè putebat, nunc nonnunquam fragrantiſſimum thymiamatum cæleſtium ſuffimentum exhalat. Vbi beſtiarum vlulatus, nunc Angelici cantus, & æris audiuntur tinnitus. Martyrum ſpecies, & formæ multis ſunt obiectæ, & oblatæ. Diſperſa, neglectáque oſſicula, vel quia non nota, notatáve erant, veluti ardentes faculæ ſplendores emittunt, vt colligantur; quandoque etiam, & ipſi cineres in ædibus rutili fulgent. Ex his, atque oſſibus frigidis & aridis tepidus vaporat, ebullit, & erumpit ſanguis.

Plurimi diuerſis,diuturníſque morbis,etiam deſperatis affecti,& afflictati eorum applicatione,& fauillis hauſtis,Martyribus inuocatis erepti ſanantur. Hæc indies prodigia, & ſigna magis ac magis incrementa ſumunt. Non Vrgauone tantùm,ſed vbicumque,quò ſacrorum pignorum, & cinerum particulæ deferuntur. Foſſa illa, & fornaces magna populorum conſenſione,& concurſu,veluti diuina inſtigante, & impellente virtute,religioſa frequentantur pietate. Non ſine conſolationis ſalubri præmio diuerſis cæli affecti muneribus ad pia, ſanctáque opera & officia incitantur: ſimúlque Sacramentorum frequentationem,& omnium virtutum,& pietatis exercitationes. Beatorum BONOSI,& MAXIMIANI ſolus illis permiſſus cultus: eóque ſanctè venerantur.

Oſſa & cineres ſub fideli cuſtodia ſeruantur. Miculas,minutáque oſſicula,quæ in effoſſione miniſtrorum fugerunt manus,magna fideles quærunt induſtria,& religiosè vti gemmas,& vniones ſeruant, & obſeruant. Ex his eximia conſpiciuntur ſigna,& lucidi ſplendent fulgores. Fulgent ſanè iuſti,vt pretioſi Margari; eorum radiis nobilitata rutilat Alba, &

Suida

Suida explicante ΑΛΒΑΟΙ ΜΑΡΓΑΡΟΙ, eruti velut ex oſtreis patritum illuſtrant ſolum.

Diligenti ſolertíque cura Illuſtriſſimus Cardinalis BALTHASAR MOSCOSO ET SANDOVAL Giennenſis Præſul per ſeipſum, & ſuos Vicarios ab ipſis initiis, atque etiam nunc ex itinere, ad TVI decreti præſcriptum, cuncta gerit, & cautè circumſpicit. Ac ne præſtigiæ vllæ, vel fictæ fallacię, aut falſa figmenta & ſuperſtitioſę ſubrepant illuſiones, nihil eſt, quod non rimetur ſapienter, & vigilanti prouideat prudentia. Sacrificiis, deprecationibus, ieiuniis & eleemoſynis vniuerſa procurari omni contendit ſtudio. Quæcumque ex ſui officij munere & debito ſunt, ſagaci proſpicit, & explorat cura, ac eâdem exequi non prætermittit, quæcumque fieri oporteat. Ante profectionem, Vrgauone plures eſt commoratus dies, ne quid ſit, quod ad tanti negotij grauitatem expedire intelligeret, quod opportunè effici non iuberet.

Ex omnibus, quæ geſta ſunt, res ipſæ plenè, planéque demonſtrant Dei nutu cuncta diſponi, regi, & confici, & perfici. Mirabili namque ſerie, conuenientia & continuatione aliæ aliis nexæ, vinctæque cohærent; ſi qua fuiſſet fraus, tam diu ſic inuicem aptæ, firmæ, & ſtabiles non permanſiſſent. Mendax dolus ſe ipſum prodidiſſet.

Horum Martyrum cauſſa hiſtoricę narrationis non ſyntagma, ſed ſchediaſma, ex atteſtationibus, & probationibus quaſi ΔΙΗΓΕΜΑ, ſummam nempe compendiariam ſcribo, atque ad TVOS prouolutus offero pedes.

SVMME ſuſcipe HIERARCHA in BEATIT. TVAM, Sedémque ſanctiſſimam TVAM propenſam Iberico noſtro vetuſto more DEVOTIONEM, & affectum. Leui, rudíque huius Mnemoſyni opuſculo lucem circumda. De Sanctis quippe eſt luminoſis, quorum luce, TE annuente, & decernente totus illuſtrabitur orbis. Bonorum omnium hoc votum. Atque ex TVI oraculi ſacrario ſoliciti pendent, & ſupplici geniculatione precantur. Vt his cineribus, & exuuiis publicum deberi cultum, & in priuato non deceptos declares, ad DEI gloriam, ſacræque Catholicæ Eccleſiæ, cui præes, prouectum, & exaltationem, & omnium noſtrûm profectum. Huic BEATIT. TVAM ſemper profuturam Summus ille ſanctis deprecantibus Martyribus quàm diutiſſimè ſeruet incolumem. Cordubæ Patritiæ pridie Kalend. Iunij CIↃIↃC XXX.



EMINENTISSMO AC REVERENDISSMO
PRINCIPI
BALTHASARI MOSCOSO ET SANDOVAL,
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI,
EPISCOPO GIENNENSI,

BERNARDVS IOSEPHVS ALDRETE,
Almæ Cordubensis Ecclesiæ Presbyter Canonicus,

SE SVAQVE L. M. DD.

SCribo ILLVSTRISSIME PRINCEPS, quod sæpiùs propter rei magnitudinem tentare non fueram ausus. Nec silere, nec differre fus. In angusto & procinctu iam res, ad Sacram properat hedem Apostolicam. Properas & TV. Manum operi rapidè admoueo. Ad Sanctos TV manuduc. Qui ad Sanctos Martyres

BONOSVM, & MAXIMIANVM conquirendos, & inueniendos dux, ductórque extitisti. Ac eorum omnium, quæ & miramur, & veneramur primas tulisti, & tenes. Non certè casu contigit, nec fortuitò accidit, vt cùm ad alios fueris cooptatus pontificatus, oblatos recusaris. Ad miseriam inopum, & gemitus subleuandos pauperum diuina TE diligebat Prouidentia. Iamque tunc nouos egenos & pauperes Iobi simillimos in sordida, obscuráque fouea abiectissimè depressos tuo excipiendos & fouendos sinu parabat. Coruscantes Luciferi, albenti candore rutuli margari in tanta caliginis obscuritate quasi in sentina mersi & abditi proculcabantur. Nouitia sidera, Numine disponente, & ostendente nouis prauiis luminaribus, velut Albentes flores in Albensi apparuerunt terra nostra.

Tua insita virtus, & innata pietas phænomena astra, Astræam pontificium suspiciebat munus. Vtramque moderatus asserentes, & negantes (quæ oculis cernerentur naturam superare) audisti, & prudentum fideli, & conquisito consilio adhibito ex ambigua disquisitione veritatem inquirere magno studio curasti: vt probatam & iudicatam certissimam ad Sedē deferres Apostolicam. Atq; vt certior Tibi esset suauissimæ fragrantiæ adflatu confirmauit Dominus. Tibi in Martyrum confessione cum aliis oranti perspicuè & manifestè cœlestis odor CHRISTI D. N. suos esse seruos & testes ostendit, & asseruit. Innumeris penè testimoniis plenissimè negotium instructum iam remittendum Tibi, non alteri voluit Dominus commissum. Eo sic disponente, qui rarò Romam cogitaras, profectio facilè est præparata, & vt voueo, secundis celerrimè peragetur auris.

Perge feliciter, faustóque perfice cursu, vti cœpisti. Diuinisque auspiciis, quæ cœlo, terra, & aëre prodigiis & ostentis monstrata mirabilia certissima & verissima testare, & assere. Tua attestatione, & auctoritate (non ambigo) Sedes decernet Apostolica corpora inuenta Martyrum esse, qui dealbati Albâ in sanguine sunt Agni. O exaudiat ipsis intercedentibus Dominus. Et te Illustrissime Cardinalis Heroum digna propago seruet, & æterna felicitet felicitate. Cordubæ Nonis Iunij CIↃ IↃC XXX.

Facultas Ordinarij Giennensis, in cuius Diœcesi municipium Vrgauonense.

DOctor Don Eugenius Chiriboga, Archidiaconus Viacensis, Dignitas in alma Cathedrali Ecclesia Giennensi Illustrissimi & Reuerendissimi D. D. BALTHASARIS MOSCOSO SANDOVAL S. R. E. Presbyteri Cardinalis, Episcopi Giennensis, Regiíque Consiliarij, &c. Iudex officialis, & Vicarius generalis, Gubernator, & prouisor in hoc Giennensi Episcopatu, tenore præsentium facultatem concedo DOCTORI BERNARDO IOSEPHO ALDRETE, Sanctæ Cordubensis Ecclesiæ Canonico, vt typis possit mandare opus inscriptum, SANCTORVM MARTYRVM ALBENSIVM VRGAVONENSIVM BONOSI, ET MAXIMIANI, ET ALIORVM INVENTIONIS ET THAVMATVM ΔΙΗΓΗΜΑ COMPENDIARIVM MNEMOSYNON, quod ipse Sanctissimo Patri, & D. N. VRBANO OCTAVO SVMMO PONTIFICI, ac eius Sanctæ Apostolicæ Sedi offerendum ex huius caussæ processibus extractum coagmentauit; à viris doctis, quibus fuerat commissum, visum & approbatum. Datum Giennij Iulij die nona Anno millesimo sexcentesimo trigesimo.

Doctor EVGENIVS CHIRIBOGA.

Ad eius mandatum GREGORIVS DONZEL
Notarius Major.

SYLLABVS

SYLLABVS CAPITVM.

CAP. I. *Municipium Albense Vrgauonense, hodie Argiona.* fol. 1
2 *Vrgauonensis municipij situs, & munitiones.* 3
3 *Vrgauonis, & Argionæ etymologia.* 5
4 *Vrgauonis municipij ius datum, eiúsque prærogatiuæ.* 8
5 *Insignitur Albæ cognomine.* 11
6 *In Hispania Christiana religio.* 13
7 *Diocletiani, & Maximiani persecutio, & Datiani aduentus in Hispaniam, eorúmque dira sæuitia.* 15
8 *Alij Præsides in Bætica & Lusitania.* 17
9 *In Hispaniis, aliisque prouinciis plures fuêre Martyres, quàm qui in antiquis commemorantur monumentis.* 19
10 *Martyrum acta sicut & nomina, non omnia extant.* 23
11 *Punitorum cadauera sepulchri caruêre honore, eorum maximè, qui majestatis, similiumq; criminũ rei damnati fuêre.* 25
12 *Magnum defunctis decus sepulchrum.* 28
13 *Non negata vel hostibus sepultura.* 30
14 *Nefaria, truculentáque scelera ac crimina immania & detestanda Christianis falsissimè imposita, ipsisq; mala quæcumque contingebant tributa.* 34
15 *Exquisitissimis pœnis Christiani infestati.* 39
16 *Ne Christiani Martyrum corpora venerarentur, in fauillas cõuerti, & proiici, omni studio contendêre tyranni.* 41
17 *Christianis Ethnici exprobrabant, quòd suorum cadauera non humarentur.* 45
18 *Gentium cadauera nulla inhumata, & caussæ.* 48
19 *Sanctorum Martyrum à Tyrannis corpora solùm tumulari prohibita.* 52
20 *Sanctorum Martyrum Bonosi & Maximiani notitia, celebrataq; festiuitas.* 55
21 *Martyres luces.* 58
22 *Lucibus Sanctorum corpora Dominus, quibus in locis lateant, solitus indicare.* 60
23 *Splendidæ indicant locũ luces, in quo Sancti laterent Martyres.* 64
24 *Nonnulla Martyrum reperiuntur ossa.* 66
25 *Continuatæ luces ab innumeris conspiciuntur, & alia reperta sunt corpora.* 68
26 *Ex Sanctorum cineribus, & exuuijs luces emicant & splendores.* 71
27 *Apparitiones, obiectæq; visiones variæ ad Sanctuarium.* 77
28 *Sanctorum Martyrum pignora proprio sunt purpurata cruore.* 81
29 *Ex Sanctorum Martyrum Vrgauonensium ossibus, & cineribus frequens sanguinis eruptio.* 86
30 *Breuiculum eorum, qui Sanctorum Martyrum interceßione à varijs sunt morbis sanati.* 100
31 *Illustrissimus Cardinalis Giennium reuersus Vrgauonem proficiscitur, indictæ supplicationes, aliaq; diuina celebrantur officia.* 117
32 *Ab Illustrissimo Cardinali inueniuntur plura corpora quæ multis indicijs creduntur esse Martyrum.* 119
33 *Magnus populorum concursus in Sanctuarium. Auditi tintinnabuli tinnitus, & sonitus.* 126
34 *Illustrissimus Cardinalis Giennium reuertitur. In Sanctuario plures erectæ Cruces, cælestésque apparent ab innumeris conspectæ.* 128
35 *Cruces olim, etiam nunc erectæ, & sæpiùs apparere conspectæ.* 136
36 *Cardinalis Vrgauonem iterum proficiscitur: inueniuntur & alia corpora.* 139
37 *E sacris leipsanis & Sanctuario suauissimus odor.* 142
38 *Angelici auditi concentus.* 146
39 *Martyrum purpuræ & palmæ, palmataq; vestes.* 150
40 *Sanguinis effusiones ex ossibus plurimæ.* 152
41 *& vlt. Epilogus.* 158

ΦAINO

ΦΑΙΝΟΜΕΝΑ SS. MARTYRVM, BONOSI, & MAXIMIANI.

CAPVT PRIMVM.

Municipium Albense Vrgauonense, hodie Argiona.

EST Giennio vicina Argiona, & eius Episcopatus. Quæsitum inter doctos, quo olim nomine à Romanis fuerit compellata. Punicis bellis [a], feruidi, pertinacísque prælij exitum Cnei Scipionis tragulâ confixum fœmur incertum fecit. Romani, & Pœni vltrò ab acie recessere. Illi à victoria certa, hi ad Auringem vrbem. Sunt qui eam, nominis similitudine decepti, Argionam opinentur [b]. Lapides citant testes, eósque ibidem extare aiunt: in hísque Aurigiam, & Aurigitanos legi. Ambrosius noster Morales eos redarguit [c], ipsósque Giennij esse affirmat. Dubio procul id sanè verum, omnibus hodie conspicui publicis in ædificiis visuntur. I

a Liu. li. 24.

b Florianus lib. 5. c. 32. Carol. Sus. Hub. Goltzius, & alij.

c A. Moral. in fin. part. 2. fol. 74. in Mentesa.

2 Ab eodem Ambrosio abundè satis municipium Albense Vrgauonense Argiona comprobatur. Hadriani Augusti equestris statuæ basis inscriptione incisum habet nomen. Ad Sancti Pontificis Martini ædem ibidem extat. Eius in priscis historiis nulla prorsus mentio. Est in Plinij naturali. De Bæticæ agens oppidis ait: *Celeberrima inter hunc, & Oceani oram in Mediterraneo, Segeda, quæ Augurina cognominatur, Iulia, quæ Fidentia, Virgao, quæ Alba.* Ioannes Mariana [d] sibi contrarius, Rhodam voluit. *Victi*, inquit, *acie nostri ad Rhodam oppidum (quod Plinio Virgao esse creditur, Bætin inter, & Oceanum.)* Vir planè eruditus à qua hunc anu fuxit errorem, non vestigo. Crassior est, quàm exquiri, ac refelli postulet.

d Lib. 10. cap. 1.

3 A. Morali, & Hieronymo Suritæ [e] ex vetustis Plinij exemplaribus,

e In Antonini Itin.

est Vrgao. Vocis vulnus adhuc, & medicamine eget. Curatio, & salus, si vna, vt est ab illis expuncta, altera addatur litera. Sítque VRGAVO, & per tertiam flectatur.

4 In Antonino non leuior plaga. *Vircaone*, vel *Virgane*. *Vrgaonem* Surita correxit. Qui *Plinio*, inquit, *in vetustis exemplaribus, Vrgao, quæ Alba. Argionam Vrgaonem esse ferunt ex inscriptione vetusti lapidis, in quo MVNICIPIVM ALBENSE VRGAVONENSE legitur.* Atqui minimè ab Vrgaone, sed ab Vrgauone Vrgauonense formatur. Ortelius perperam discriminat, omitto.

a Lib. 9. c. 31. & in Mẽsesa. 5 Basis epigramma proferunt A. Morales [a] non semel Argote de Molina, idem etiam Mariana, & asserit, Argionam esse, & alij. Vidi & ego, & exscripsi.

IMP. CÆSARI DIVI TRAIA
NI PARTHICI FILIO DIVI NERVÆ
NEPOTI TRAIANO HADRIANO
AVGVSTO PONT. MAX. TRIB. POT.
XIIII. COS III. P.P.
MVNICIPIVM ALBENSE
VRGAVONENSE D.D.

Ex Illustrissimi paritérque doctissimi Antonij Augustini Archiepiscopi Tarraconensis schedis habet Ianus Gruterus, sed mendosè, Albengense. Scribentis sanè errore. Hubertus Goltzius in Augusto [b] sic ait. *In Hispania Bætica Bianæ, quæ olim Alba Varcaonensis dicta.*

b pag. 202.

L. CÆSARI AVGVSTI F. DIVI IVLI N.
PRINCIPI IVVENTVTIS AVGVRI
COS DESIGNATO
MVNICIPIVM ALBENSE VARCAONENSE.

Posuit & Gruterus [c], addidit tamen in fine, D. D. & in margine, ex Morali correxit VRGAVONENSE.

c pag. 234.

6 In Bætica vbi Biana? Mihi prorsus ignota. At non in comitatu Lerinensi, ad Vascones. De ea Surita, & alij. De ipsa Tarapha in Lydis. *Ascanius Albam in Latio condidit, à quo etiam crediderim ciuitatem Albam Hispaniæ esse constructam, quum à Latinis veteribus (vt refert Plinius, & Ptolemæus) in Hispania ciuitates, populósque, ac colonias plures esse constructas. Alba hæc vulgò Biana denominatur. Est quoque ab eâ flumen eiusdem nominis, nunc verò Clodianus, &c. A Pyrenæis montibus funditur.* Diuersa hæc Alba apud Vascones. An forsan eadem, quæ Ptolemæo in Vardulis, & Plinio ab ea Albanenses? Est Biana etiam in Gallæcia, nulla in Turdetania. Error seipsum prodit.

dit. Similem inſcriptionem idem tradit Goltzius Argionæ extare, non tamen in ea municipij dicantis nomen.

7 Maximam rerum notionem ſibi ineſſe Flauius Lucius Dexter aperuit, ſéque Geographiæ oculatæ peritiſſimum oſtendit. Nemo certiùs nomen expreſſit. Quod ſi Plinius, & Antoninus ſcripſere, at in vulgatis codicibus error fuit. Correxit tamẽ Flauius, quaſi baſin inſpexiſſet. Adſcripſit & Bæticæ. Ne quis crederet eum de Lurgauonenſibus agere. De his Cæſar [a], *Paucis pòſt*, inquit, *diebus Lurgauonenſes, qui flumen Iberum attingunt, inſequuntur*. Illurgauonenſes in vulgari lectione. Fuluius Vrſinus ex vetuſto codice emaculauit, ſubdidítque: Lurgauonenſes *Strabo appellat, opinor, Iſergetes. nam de iis ſcribit non procul remotos ab Ibero. Sed hoc non affirmauerim.* Quaſi affirmarit, eoſdem eſſe retulit A. Ortelius [b]. Credidit Ludouicus Nonius. Inauditum quaſi in errore deprehenſum manifeſtò damnat, probátque diuerſos. *Et ſiquidem*, inquit, *Illurgauonenſes ad Iberum Cæſar ſtatuit, à quo Ilergetes remoti ſunt*. Maximè. Ideo, quia non remotos hos ſcripſit Strabo, dubitauit Fuluius, an iidem Straboni eſſent. Illurgauonenſium meminiſſe Plinium non legi. Vbi legerit Nonius, ignoro. Ilearcones ille, & Ptolemæus, Liuius [c] Ilearconenſes ad Iberum conſtituunt. Non ideo dixerim Ilearconenſes, & Lurgauonenſes eoſdem, ſed diuerſos. Cæſar fauet. *Tranſit*, inquit, *cohors Lurgauonenſium cognito ciuitatis conſilio*. A qua nimirum ipſi fuerant miſſi. Ad eius diſcrimen Flauius in Bætica Vrgauonem ſitam dixit.

[a] Lib. 1. de bel. ciuil.

[b] Cap. 49.

[c] libro 2.

8 Firmum itaque omnium ſententiâ Vrgauonenſe municipium hodie Argiona vocatur. Aſſentit Antoninus in itinere à Corduba Caſtulonem. Ab illa Calpurnianam paſſuum millia viginti quinque; inde Vrgauonem viginti. Certiſſima diſtantia, cui nemo refragabitur. Subſcribit Merula [d], cum aliis. Mox ex ipſa nominis ratione probo.

[d] Part. 2. lib. 2. c. 24.

CAPVT II.

Vrgauonenſis municipij ſitus, & munitiones.

1 QVI ex Eois in extremas Heſperiæ deuenere regiones, quas ſibi delegere ſedes & loci naturâ & arte munitas voluerunt. In Bætica A. Hirtius de rebus à Cæſare ad Cordubam geſtis, *Propter*, inquit, *barbarorum crebras excurſiones, omnia loca, quæ ſunt ab oppidis remota, turribus, & munitionibus tenentur, ſicut in Africa rudere, non tegulâ teguntur. Simúlque in his habent ſpeculas, propter altitudinem longè, latéque proſpiciunt. Item oppidorum magna pars, eius prouinciæ montibus ferè munita, & natura excellenti-*

bus locis est constituta, vt simul aditus, ascensúsque habeat difficiles. Ita ab oppugnationibus natura loci destinentur, vt ciuitates Hispaniæ non facilè capiuntur.

2 Hic idem ipse animus Vrgauonis conditoribus. Ab iis electus ager planicie, terrenísque collibus vberrimus. In eius meditullio sublimior collis, qui cæteros despicit, & ad Arcton planissimos campos. Qui omnes pinguibus consiti oliuetis, & opimis ferendis messibus aptî, & olei bonitate, & frugum vbertate Venafranis, ac Campanis minimè cedunt. In excellentis tumuli supercilio arx ab illis est eminens constituta, Prisco omnium gentiũ more ædificata. Vt Virgilius [a] de Ænea,

a Lib. 7.

—— Ipse humili designat mœnia fossâ,
Molitúrque locum, primásque in littore sedes
Castrorum in morem pinnis, atque aggere cingit.

Liuius [b] de Seruio Tullio, *Aggere, & fossis, & muro circumdat.*

b Lib. 1.

3 Aggeres primi, qui hostiles impetus, nocturnos, diurnósque assultus, arietes, scalas, & bellicas propulsent machinas, & arceant. De his Vegetius [c]. *Tum sepibus ductis, vel interpositis stipitibus, ramísque arborum, ne facilè terra dilabatur, agger erigitur, super quem ad similitudinem muri, & pinnæ, & propugnacula componuntur.* Hoc in castris, in quibus tumultuariæ extruuntur munitiones. In arcibus verò, & oppidis, agger, siue vallum, vt præcipuus firmatur murus, eóque ipso fabricatur opere. De vallo, eiúsque structura Beatus agit Isidorus [d].

c Lib 3. c. 8.

d Lib. 15. c. de munitionibus.

4 Vallum, siue agger aptè à Vulgato [e] *Antemurale* dicitur. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion saluator, ponetur in ea murus, & antemurale.* Septuaginta: Τὸ τεῖχος, καὶ περίτειχος. *Murus, & circummurale.* Arabs سور وابن سور *for vau aben for. Murus, & filius muri.* Concinnè admodum, quia depressior, & humilior hic illo, & quasi agnatus.

e Isai. c. 26.

5 Vallum inter, & mœnia fossa, vltimo loco murus cum propugnaculis. Quatuor & viginti in Vrgauonensi castro. Quadraginta in vallo, fossa olim satis alta. In summitate castri Pyrgos, & magnitudine, & opere cunctis turribus editior, & validior. In eo specula; noctu ignibus, interdiu fumo hostium impressiones indicabat. Superior pars diruta. Prisci Romani operis adhuc supersunt vestigia.

5 In arcem duabus ex oppido portis aditus. Protegunt vtramque bina propugnacula cum vallo. Illarum præcipua subditas vias & mercatum nundinis aptum prospicit. Hanc ingredientibus ad dextram tres sunt turres. Prima cataractæ, quæ ab ipsa olim demittebatur: vulgò *del Rastillo* dicitur. Secunda nunc Sanctorum Martyrum compellatur. Tertia ab horologio, quod in ea, nomen est sortita. Ad læuam verò duæ sunt turres. Prima introitum tuetur. Inest ei vetustum campanile, à quo nomen. Altera Columbaria nuncupatur. Fossam quæ inter

ter primas tres turres est & murum, & antemurale, Sanctuarij vulgus cohonestauit nomine. Ac multis ciues, & oppidani vicini decorarunt speciosis crucibus. Quia verò locus apertus valli parte, & pinnis deiectis peruius cunctis erat, temporario fornaceo pariete est septus cum ianua. Additum ad hanc tectum exiguum excubiis habitaculum.

6 In ipso castro platea non magna ante primarium oppidi templum satis amplum lapide concameratum, purissimæ, & gloriosissimæ Deiparæ Virgini MARIÆ sacrum. Sunt & aliæ ædes, in quibus olim & Idolorum delubrum, atque Duumvirûm, ædilium, quæstorum, & decurionum curia, simul & reorum custodia, & militum habitacula.

7 Oppidum castro contiguum cynosuram versùs. Leni cliuo in imum protenditur. Longè, latéque prospectat campos Bætin, oppida, Marianos & montes. Mœnibus omnino circumdatum cum propugnaculis. Eorum non exigua pars variis casibus, & temporum est iniquitate collapsa. Situs ipse saluti percommodus, ac Syris frugibus condendis & diutissimè seruandis, aptissimus. Horum maxima copia per omnem Bæticam. Cæteroqui locus non valde expetendus. Nullis abundus puteorum, & fontium salubribus, sed nitrosis aquis. Ab eo longè dissita aquatio, sicut & hortorum amænitas.

CAPVT III.

Vrgauonis, & Argionæ etymologia.

1 LOcus ipse occupatus, non tam cum fructu iucundus, quàm opportunus nominis caussa. Non abditam, & occultam suæ mentis rationem primi illi voluerunt conditores. Pulchra illis visa, & sapiens, quem animo conceperant, si verbis explicarent. Non obscurum, sed clarum, & illustre ordiri sunt opinati opus. Ipsius eorum oculis speciosa obuersabatur species, & vtilitas. Ac quasi excelsus ignis lucere sibi, & omnibus visus. Vt qui accensis facibus præfulgidus futurus esset. Ex propria dialecto אור גבה *vr gabah* compellarunt. אור *vr* quippe Chaldæis ignis accensus, & lucens, ac flamma. Eadem vox Hebræis diuersa enuntiatione אור *or*. Atqui septuaginta Interpretibus, & Vulgato in nominibus propriis iisdem literis per V, non per O, profertur. אורי *Vri* filius Hur: אוריאל *Vriel* pater Michæi. Sic etiam omnibus אורים *vrim* splendores, & etiam תמים *thummim* rectitudines in Pontificis pectorali. Ex אור *vr* quoque liberauit Dominus Abrahamum [a].

a Gen. 15. 7.

Multiplex, frequénsque vsus אור *vr*, siue *or* in sacris literis. Propriè lux, lumen, splendor, fulgor, & claritas, & quæ ab his. Metaphoricῶς verò lætitia, salus, liberatio, fauor, gratia, vita, auxilium, & prouidentia. Vt quæ præuideat, & prouideat, & opituletur rebus vniuersis. Vti è contrario tenebræ calamitates, & quæcumque alia mala. Psaltes Rex [a], *Lux orta est iustis, & rectis corde lætitia.* Alibi [b], *signatum est super nos lumen vultus tui.* Isaias [c], *Domus Israël venite, ambulemus in lumine Domini.* In Prouerbiis [d], *Lux oculorum lætificat animum.* & iterum [e], *In hilaritate,* (luce nempe) *vultus Regis vita.* Omitto plurima, etiam profana. In his lux maximam, clarissimámque continet emphasin.

a Psal. 97.
b Psal. 4.
c cap. 2. 5.
d cap. 15.
e c. 16. 15.

3 In lingua sancta גבה *gbh*, גָּבוֹהַּ גָּבֵהַּ *gaboh*, siue *gabah*, excelsus, sublimis, eleuatus, elatus, altus, procerus, & etiam superbus. [f] *Muros tuos sublimes, & munitos.* [g] *Super omnem collem excelsum.* [h] *Et alta à longè cognoscet.* [i] *Omnem turrem excelsam.* [k] *Et erit super omnem montem excelsum.* Sic sæpe de montibus, & superbis. [l] *Oculi sublimes humiliabuntur.* De proceris, de Saule, [m] *Ab humero suo, & sursum eminebat,* (altus erat) *præ omni populo.* Beth in Vau Hispanum nostrum idioma, vt dixi, ad suauitatem vertit. Omitto, quòd Hebræi, & Græci hanc simplicem literam vt V. proferunt. Sícque enuntiata est Vrgauo.

f Deut. 28.
g Reg. 3. 14. 23.
h Psal. 131. 6
i Isai. 2. 13.
k Isai. 30. 25
l Isai. 5. 15.
m 1. Reg. 10.

4 Chaldæis, & Syris גוֹבַהּ *gobah*, altitudo, & sublimitas. His Arabismus proximus. Ab eodem, nempe Hebræo, tres hæ linguæ deriuatæ fonte. Docuit Episcopus Iacobus de Valentia [n], & egregiè dissertat. Nobilissimus noster Aluarus & sanguine, & beatissimi Martyris EVLOGII amicitia nobilior Arabicam dialectum Chaldaicæ coniungit [o]. *Nónne,* inquit, *homines iuuenes Christiani, vultu decori, linguâ diserti, habitu gestúque conspicui, gentilitia eruditione præclari, Arabico eloquio sublimati volumina Chaldæorum auidissimè eructant, intentissimè legunt, ardentissimè disserunt, & ingenti studio congregantes, latâ constrictáque linguâ laudando diuulgant, &c. Et reperias absque numero, qui eruditè Chaldaicas verborum explicent pompas, ita vt metricè eruditiore ab ipsis gentibus carmine, & sublimiori pulchritudine finales clausulas vnius literæ coarctatione decorent.* Notauit & Posidonius in Strabone [p]. *Nam Armeniorum, Syrorum & Arabum multum cognationis præseferunt nationes.* * *ET SERMONE, corporum formâ, maximè vbi degunt in vicinia. Idque ostendit Mesopotamia ex tribus his conflata populis: maximè enim in his similitudo est illustris, &c. Assyrij quoque, Ariani, & Aramæi inter se, atque istorum sunt assimiles. Estque colligendum harum gentium nomina esse affinia, qui enim à nobis Syri, ij ab ipsis Syris Aramæi dicuntur: hisque conueniunt Armenij, & Arabes, & Erembi, sic enim fortassè veteres Græci vocabant Arabas.* Itaque hęc idiomata inter se proximè conueniunt, Vnde forsan sicut in Arabico idiotismo vulgari, sic in Chaldai-

n In prol. Psalm. 6. tractata.
o In fine Indiculi Luminosi.
p Lib. 1. p. 28.
* Et lingua, siue idiomatis proprietate, vitæ ratione, vel moribus, tum etiã corporũ forma, maximè vbi sunt finitimi.

co

co גבר جبح *gubh* apis. Inde גבר جبح *gabbah* apiarius. Habentur in Lexicis Granatensi, & Raphalengio [a], & Schindlero, nomina popularibus communia, ac vulgaria. [a] Pag. 72.

5 Politior verò dictio נחל نحل *nachil* apis, نحل *nacla* apes. *Circumdederunt me sicut apes* [b]. Arabs; *Circumuallauerunt me, sicut examen apum.* [b] Psalm. 117 פר אל נחלה فر النحل *phar al nacla.* Sic & in Deuteronomij c. 1. 54. & Iudic. 14. 8. & Isai. c. 7. 18. & sæpiùs in Aben Sina.

6 Sed & palmas Arabs נחול نحيل *nachil* vocat. Palmam نحلة נחלה *nachlah. Iustus vt palma florebit* [c], النخلة אל נחלה *al nachlah* [c] Psam. 91. 13. עסל عسل *esel* النحيل אל נחיל *al nachil* dactylorum. Hoc dactylorum mel maximè in vsu in Phœnicia & Mesopotamia. Iob verò cap. 29. 18. *Sicut palma multiplicabo dies.* [d] Palma ibi חול *chol*, inde *nachil.*

7 A quibus, forsan non nemo quæret, ea fuerit metamorphosis, vt Vrgauo Argiona diceretur? In promptu responsio. In Arabica miserrima clade, quam Hispania est passa, nomina insignium vrbium, montium, & fluminum non multum sunt mutata. Alia verò à barbara colluuie luxata, & deformata magnopere. Arabica etiam noua imposita. Ita & Vrgauoni, non tamen absque congrua analogia, & proportione. Adeò vt non ab alio nomine originem peti, nec reperiri posse crediderim, & affirmarim, Arabica exigente, & indicante dialecto. Hoc solum sufficeret argumentum, vt non aliam esse Vrgauonem, quàm Argionam. Probet igitur ipsa, & demonstret. [d] De palma vide me li. 2. c. 2. pag. 222. de variis antiquit.

8 In Arabismo Gimel omnes vocales sic ferit, sicut nobis G, in E, & I, pronunciatur. Nec opus illi, vt in nostro, Italicóque sermone, vt addatur *Iota* I, ad eius enunciationem. Itaque in illo sonat Vrgauone Vrjauone, vel Vrgiauone. Plurima sunt exempla, الجوهر אלגוהר *Algohar*, illis scribitur per G, & profertur *Algiophar.* Mutatur crassa aspiratio in digamma Æolicum F. Sic & نارنجة נארנגה *naranga*, sonátque Naranja, siue Narangia Aurantia. Sic & alia, omitto.

9 Insuper illis *Vau* V, promiscui est soni, modò V, modò O, est & vocalis & consonans. Eaque, & *Elif*, siue *Aliph* literæ debiles sunt, hoc est, quia inter enuntiandum eneruantur, sonúmque proprium amittunt, nec pronuntiantur. Vti fit in Latinis diphthongis, ac in pluribus Gallicis vocabulis, quæ aliter scribuntur, quàm proferuntur. Erpennius, Kirstenius cæterique Grammatici.

10 Demptis, siue eneruatis *Alif*, & *Vau*, in Vrgauone, & E, vltima mutata in A, vt ipse poscit, & postulat Arabismus, Vrjona, siue Vrgiona vocabatur à barbaris. A quibus, quia ea tellus cocci ferax erat, eóque abundabat, ísque Argona dicebatur, mutata est V, in A. Atque à prouentu pretiosi coccinei vermiculi nomen illi inditũ Purpura ارجوان ארגואנא *Argoana*, in medio eliditur *Alif*, est enim tenuissimus spiritus.

[a] pag. 6. tus. Eliſit Raphalengius [a], dum litteras Arabicas Hebraicis expreſſit ارجوان ארגון *Vermiculus coccineus*, Gloſſ. *Purpura*. Argiona purpura eſt in ſacris literis Arabicis, & maximè in Exodo ſæpiùs repetitur. In Hebraico ארגמן *Argoman*, ab hoc illud fluxit nomen. Abundè ſatis Argiona demonſtrat, non ab alia, quàm ab Vrgauone originem duxerit, verámque aſſerentium confirmat opinionem.

CAPVT IV.

Vrgauonis municipij ius datum, eiúſque prærogatiuæ.

1 CAntabris, & Aſturibus debellatis Ianus eſt cluſus, & orbi reddita pax. Huius Princeps, & lucis è cælo vtramq; in illum intulit. Bætica populo Romano ab Auguſto eſt tributa. Nulli Bellonæ motus in ea. Prætor cum Legato, & quæſtore in ipſam mittebatur. Erántque, teſte Plinio, *iuridici conuentus quatuor*, *Gaditanus*, *Cordubenſis*, *Hiſpalenſis*, *Aſtigitanus*. Oppida omnia numero CLXXV. in his coloniæ octo, municipia octo.

2 Primum coloniæ, ſecundum municipia obtinebant gradum. Non potioris illas his æſtimauit Agellius [b] Hadriani Imp. adducta auctoritate. Atque *in oratione*, inquit, *quam de Italicenſibus, vnde ipſe ortus fuit, in Senatu habuit, peritiſſimè diſſeruit, mirarique ſe oſtendit, quòd & ipſi Italicenſes, & quædam alia municipia antiqua, in quibus Vticenſes nominat, cùm ſuis moribus legibúſque vti poſſent, in ius coloniarũ mutari geſtiuerint. Præneſtinos autem refert, maximo opere à Tyberio Imperatore petiiſſe, oraſſéque, vt ex colonia in municipij ſtatum redigerentur, ídque illis Tyberium pro referenda gratia tribuiſſe, &c. Municipes ergo ſunt ciues Romani, ſuo iure, & legibus ſuis vtentes, muneris tantùm cum Populo Romano honorarij participes. A quo munere capeſſendo appellati videntur.* Itaque in honorum, & munerum ſocietatem admiſſis vetuſti ſui iuris permiſſa erat vſura, non tamen ſuffragiorum Romæ.

[b] Lib. 16. cap. 13.

3 Vrgauonenſibus magnus hic eſt honor delatus. Et vt vrbis dominæ œconomiæ epitome eſſet eis, vt forma. Conſulum vice Duumuiri, Senatorum decuriones, Senatus, curia, ædiles, quæſtores, integráque Reipublicæ adminiſtrandæ inſtar Romanæ procuratio. Hánque formam Auguſti æuo extitiſſe cippus in homagij pyrgo oſtendit.

IMP. CAESARI AVG. PONTI. MAX.
TRIB. POTXXXIIII. COS. XIII.
PATRI PATRIAE VICTORIAE SACR.
L. AEMILIVS L.F. NIGELIVS AED. IIVIR.
D. S. P. F.

Vidi

Vidi,& exſcripſi. Habet Goltzius [a] in Auguſto,in eo Nicellus,ſed eſt NIGELLVS. Atqui difficile diſcernitur. Maior error in Amb.Morali [b],non eius incuria,ſed exſcribentis.Ianus Gruterus benè,verùm illi ante L.Æmil.additum.

[a] Pag. 194.

[b] Lib.9. c.4.

L.CAETRONIVS M.F.PACORVS
L. AEM. L.F.NIGELLVS
AED. II VIRI
D.S.P.F.

Non dubito olim & alterum fuiſſe cum hac inſcriptione Vrgauone cippum diuerſum ab eo,qui nunc extat. Auguſti,qui aſſignatur,Conſulatus in primo fuit noſtræ ſalutis anno.

4 Ambiebant municipes Imperatorum grâtiam. Auguſtus [c] *nepotes ex Agrippa, & Iulia tres habuit,Caium,Lucium,& Agrippam.Caium,& Lucium adoptauit domi per aſſem, & libram emptos à patre Agrippa. Teneróſque adhuc ad curam reipublicæ admouit: & Cõſules deſignatos in prouincias,exercitúſque dimiſit.* Lucium in Hiſpaniam, eius aduentum erecta ſtatuâ, vt gratiam inirent, adulatione præuenerunt. In baſi inſcriptio.

[c] Sueton.in Auguſt. c. 64.

L. CAESARI AVGVSTI F. D. IVL.
NEPOTI PRINCIPI IVVENTVTIS
AVGVRI COS. DESIGNATO
D. D.

* Eſt in Goltzio, & Grutero. De his fratribus Tacitus [d]. *Cæterùm Auguſtus,&c.genitos Agrippa Caium,ac Lucium in familiam Cæſarum induxerat,necdum poſitâ puerili prætextâ. Principes iuuentutis appellari, deſtinare Conſules, ſpecie recuſantis flagrantiſſimè cupierat.* Plura de his idem Tacitus,Suetonius,Seneca,Paterculus,Dio Caſſius, Zonaras, & alij. Omitto. In Hiſpaniam Lucius pergens Maſſiliæ obiit. Vtrumque vitia peremerunt.

[d] Lib.1.Annal.

5 Tiberius etiam Iuuentutis Princeps eſt compellatus. Minimè Vrgauonenſes ignaui ad adulationem. In Grutero inſcriptio innuit,

TIB. CAES. AVG. F. D. IVL. NEP.
PRINC. IVVEN. AVGVRI
COS DESIG. DD.

E' Schoti ſchedis,

Ad caſtri oſtium vetuſtiſſimus lapis non integer has exeſas continet literas, in his reipublicæ priſca monſtratur forma, & ſenatorius ordo.

...L. F. GAL.....E...
...PATRI..... PA..
...S. IDEM ORDO....EADEM.
...NSA SVA FACIVNDVM...

Fuere plures inſcriptiones,non extant omnes.Hæc ad Sancti Martini pulchro magnóque charactere.

M. HELVIO VARO
AVGVSTALI
PERPETVO D.D.
HELVIA PROCVLA
VXOR.
HONOREM ACCEPIT
IMPENSAM REMISIT.

Est & alius cippus, in quo nunc triumphalis eleganti formâ fulget Crux. Ac ab ea conculcatur ille, in cuius fuerat honorem erectus,

LIBERO PATRI
AVG. SACR.
IN HONOREM
PONTIFICATVS
L. CALPVRNIVS
L. F. GAL. SILVINVS
II VIR BIS FLAMEN
SACR. PVB. MVNICIPAL.
PONTIFEX. DOMVS
AVGVSTALIS
D. S. P. D. D.

[a] Pag. 66. Habet Gruterus [a] ex Vrsini, & Schoti schedis. Ex his perspicuũ quàm studiosè politiam Romanam fuerint Vrgauonenses æmulati. Simúlque inanem sunt secuti superstitionem, vt suum nobilitarent, & amplificarent municipium.

6 Magna politici status facta est mutatio. In eam, suæque potestatis incrementum hac vmbratili honorum, & munerum specie incubuere Romani. Non aliis magis, etiam Martis artibus prouehi posse proprium imperium, quàm alieno depresso existimarunt. Industrio astu, & artificio persuadere populis subiugatis maximè sunt conati, vt vetustam reipublicæ faciem abolerent, nouámque inducerent, atque summum hoc esse beneficium. [b] *Atque id apud imperitos humanitas vocabatur, cùm pars seruitutis esset.* Victoribus id ius, quo vsi Romani, quorum sollertiâ [c] *victi omnes in gentem, nomen, imperiúmque concessere.*

[b] Tacitus in vita Agric.
[c] Sallust. in Iugru.

De Roma ingeniosus Claudianus.

Hæc est in gremium victos, quæ sola recepit,
Humanúmque genus communi nomine fouit,
Matris, non Dominæ ritu. Ciuésque vocauit,
Quos domuit, nexúque pio longinqua reuinxit.

Ex mortali id consilio: at ex Diuino fundamenta hæc erant Ecclesiæ. Prudenter Prudentius, & eleganter [d].

[d] Lib. 2. cõtra Symm.

Hanc frænaturus rabiem Deus vndique gentes

Inclinare

Inclinare caput docuit ſub legibus Iſdem,
Romanóſque omnes fieri, &c.
Texitur alternis ex gentibus vna propago.
Hoc actum eſt tantis ſucceſſibus, atque triumphis
Romani imperij. CHRISTO *iam tunc venienti,*
Credo, parata via eſt.

Dixerat priùs:

Vis dicam, quæ cauſſa tuos Romane labores
In tantum ex tulerit? Queis gloria fortibus aucta
Sic cluat, impoſitis, vt mundum frænet, habenis?
Diſcordes linguis populos, & diſſona cultu
Regna volens ſociare Deus. Subiungier vni
Imperio, quicquid tractabile moribus eſſet,
Concordíque iugo retinacula mollia ferre
Conſtituit, quo corda hominum coniuncta teneret
Relligionis amor: nec enim fit copula CHRISTO
Digna, niſi implicitas ſociet mens vnica gentes.
Sola DEVM *nouit concordia, ſola benignum*
Ritè colit.

Municipij nomine, & iure nouam induit formam, deformata & antiquata maiorum vetuſta? populus Vrgauonenſis.

CAPVT V.

Inſignitur Albæ cognomine.

1 Ciues iam facti Romani cultu, victu, togâ, linguâ, & moribus vrbis oſtentabant municipes politeiam. Priſcum nouo ambiere cohoneſtare nomine. Siue id ab Imperatore, vel à S. P. Q. R. datum, ſiue, quod magis exiſtimo, poſtulatum, & obtentum, & Albæ inditum. Ab ipſo cauſſa, eàq; duplex videtur. Prima, vt coniectare par eſt, ex Alba plurimi oriundi ciues erant. Patriam amabant, & fallaci ſpecie ſibi repræſentare cõcupiere. Non victores tantùm vrbibus captis alia induxere nomina. Fecere Alexandri, Antiochi, Romani, & etiam Hiſpani in nouo orbe. Nouámque Hiſpaniam latiſſimam regionem, ingentem & inſulam Hiſpanam compellarunt. Non autem Hiſpaniolam, vt exteri noſtri ſermonis ignari vocant. Sed etiam commigrantes populi vacantem, caſſámque terram occupantes cognominarunt. Tertullianus [a], *Tranſuolauerunt redundantium hominum examina. Scythæ exuberant in Perſas, Phœnices in Africam eructant. Romanos Phryges pariunt.* Addo. Ab vrbe flumine

[a] De Pall. c. 2

fluminéque Sicano Sicani Pallanteo adſident. Exacti in Trinacriam trajiciunt, Sicantámque vocant. Vera hæc, non mythologica hiſtoria, aſſerentibus Thucydide, Diodoro Siculo ex Timæo, & Philiſtio, Dionyſio Halicarnaſſeo, Strabone, Stephano, Plinio, Silio Italico, Solino, Martiano, Macrobio, Seruio, & S. Iſidoro. Ab Iberis Hiſpanis Aſiatici orti. [a] *Ac velut è ſurculis, & propaginibus populi de populis, vrbes de vrbibus per vbique orbis pangebantur.*

[a] Idem Tertul.

2 Id vnum, & antiquis impenſius ſtudium, vt quarum, delegere ſedes, affectio coaleſceret, & nutriretur patriæ cognominis amore. Troiani Troiam euerſæ ſimilem condere ſemper in animo. Helenus ædificauit, Æneas optauit, & ait,

Virgil. 3. Æneid.

Ergo auidus muros optatæ molior vrbis,
Pergameámque voco, & lætam cognomine gentem
Hortor curare focos, arcémque attollere tectis.

Et de Heleni Troia,

Procedo, & paruam Troiam, ſimulataque magnis
Pergama, & arentem Xantho cognomine riuum
Agnoſco. Scæaque amplector limina portæ.
Nec non & Teucri ſociâ ſimul vrbe fruuntur, &c.
Hos ego digrediens lachrymis affabar obortis:
Viuite felices, quibus eſt fortuna peracta
Iam ſua. Nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum,
Arua neque Auſoniæ ſemper cedentia retro
Quærenda. Effigiem Xanthi Troiámque videtis,
Quam veſtræ fecere manus.
Si quando Tybrin, vicinaque Tybridis arua
Intraro, gentíque meæ data mœnia cernam,
Cognatáſque vrbes, olim, populóſque propinquos
Epiro. Heſperia quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem caſus, vnam faciemus vtramque
Troiam animis, maneat noſtros ea cura nepotes.

3 Patriæ ab aura remoti hac ſimulatam cogitatione amiſſæ voluptatis imaginem vſurpare mortales ſoliti, ac deſiderium lenire.

[b] In Trinacria.

4 Altera etiam cauſſa ab Stephano [b] tradita. *Multa*, inquit, *oppida à ſimilitudine aliqua cognominata ſunt.* Hæc, & memoria nomen dedere. De Alba ſtrabo [c]. *Ante hos montes* (Albanum nimirum, & lucum Dianæ, eiúſque iuga) *prius dictæ Latinæ vrbes ſitæ ſunt. Inter quas maximè mediterranea eſt Alba. Marſis finitima ſcopulo inſita ſublimi.* Titus etiam Liuius [d] Galli victi, *quod editiſſimum inter æquales tumulos, occurrebat oculis, arcem Albanam petunt.*

[c] Lib. 1.

[d] Lib. 7.

5 Vti

5 Vti munitionibus, & loci naturâ firmâ, & validâ vsi ea Romani ad custodiam Principum. Idem Strabo. *Alba, quòd in penetralibus regionis sita, ac munita circùm optimè, sæpè numero loco custodiæ fuit à Romanis data, in quam dederunt, quos seruari captiuos vellent.* Verè, idem Liuius [a]. *Consulti Patres Regem in custodiam Albam mittendum censuerunt.* Iterum [b] *Patres censuerunt, vt Q. Cassius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret.*

a Lib. 21.
b Lib. 45.

6 Diuersa hæc Alba ab ea, quæ longa ab Ascanio condita. Hæc à Romanis diruta, eiúsque Principes in senatum lecti. Albani eius dicti sunt ciues; illius verò Albenses. Et scuta Albesia, ob magnitudinem, & decumana. Hoc à Marco Varrone [c], Liuio [d], Plinio [e], Festo, & aliis assignatur discrimen, à Poëtis non item.

c Lib. 7. de ling.
d Lib. 23.
e Lib. 3. c. 5.

7 Municipium Albense dictum. Quia autem aliæ essent Albæ in Hispania, additum, & Vrgauonense, quod aliquando in Arabica captiuitate habuit regulum. Post eam Ducatus extitit caput, & titulus. Permutatione demum in Calastrauensis militiæ magistralem ditionem cessit, Huius sæcularis est iurisdictio. Ecclesiastica omnimoda cum vniuersis decimis ad Episcopatum spectat Giennensem.

CAPVT VI.

In Hispania CHRISTIANA *religio.*

1 PRima post Palæstinam Hispania Christiana est imbuta religione. Ante illam purissimæ, ac sanctissimæ Deiparæ Virgini MARIÆ adhuc viuenti ædes est sacrata. Ipsam, vti Dominam, Reginam, ac patronam Hispania nostra semper est venerata. Illáque rursus hanc, vt benignissima mater sub suo suscepit patrocinio, & tutela. Ab eóque tempore, vti sibi deuotissimam, & addictissimã fouit, & fauit. Ac eius sacrosanctis auxiliis in religione, fidéq; catholica profecit. Profecit etiam Beatissimi Iacobi Zebedæi prędicatione, & miraculis. Cui eã Dominus dederat in sortẽ, & clientelam Fuit, & est sui Apostolatus principatus. In quo vti Primas, & Patriarcha vniuersas fundauit Ecclesias. Atq; vti strenuissimus Imperator, triumphalísque ductor, & Princeps in prælíis hostiles deiecit, & deuicit acies. Eius discipuli Cæsilius, Ctesiphon, & Hiscius Antistites clarissimi, post ipsum Magistrum, & Stephanum præclaro agone primi sunt suo sanguine coronati. Anno enim Domini quinquagesimo octauo, & secundo Neronis, gloriosè in sacro Illipulitano monte de tyranno triumphârunt.

2 Religionis, & sanguinis primitias post Ierosolymam prima vltima obtulit Hesperia. Carnifex, carniuorus Nero gustato humano cruore

efferatus adeò eum sitiuit, vt lassatus, non satiatus fuerit. Haustum hydropico similis crudeliùs appetebat. Non desæuiit, sed triumphasse sibi visus, cùm euersam in Hispania sacram Christianam religionem intellexit. Sed falsò; & quasi inclyto patrato facinore à nequissimis adulatoribus cippo erecto est honoratus.

Hãc inscriptionẽ habet Aldus ad Cæsar. comment. A. Morales lib. 9. c. 16. Cardin. Baron. an. 69. §. 46. & alij

NERONI CL. CAES. AVG.
PONTIF. MAX. OB PROVIN.
LATRONIB. ET HIS QVI
NOVAM GENERI HVM. SVPERSTITIONEM
INCVLCABANT
PVRGATAM

3 Christianos latronibus pares, & similes impia sceleratáque rabies æstimauit, & puniuit. O felices, qui sicut Dominus, & Soter noster cum iniquis sunt deputati. Et inter fures, & latrones immanibus sunt torti tormentis, & atrocissimè trucidati. Sæuissimæ huius persecutionis meminit Flauius ad annum Domini sexagesimum. *Multi*, inquit, *in Hispania, prima persecutione Neronis, quæ heic ab anno quinquagesimo septimo cæpit Hispali, Illiturgi, Illiberri, Tarracone, Cæsaraugustæ, in Lusitania, in Bætica, & Carpetania bonis suis priuati atrociter patiuntur.*

Lucæ 22.

4 Quid profuit tantum nefas, quódque Romæ, & in aliis prouinciis sceleribus coopertus infamis perpetrauit? Paulus noster Orosius concinnè. *Auxit hanc molem facinorum eius temeritas impietatis in* DEVM. *Nam primus Romæ Christianos suppliciis, & mortibus affecit, ac per omnes prouincias, pari persecutione excruciari imperauit. Ipsúmque nomen extirpare conatus, Beatissimos* CHRISTI *Apostolos* PETRVM *cruce*, PAVLVM *gladio occidit.* Non extirpauit, non extinxit, vt credidit, sed veluti oliua speciosa ab ipso ferro germina induit noua. Renata feliciter læta, fœcunditate, fœtu, & ampliori exuberauit fructu.

5 Hispaniæ vberrima tellus sacris irrigata sanguinis riuulis, ampliori-bus non destitit fidei augeri incrementis. Immensa sumpsit, ac florentissimam vernantibus gemmis floruit. Tertullianus [a] tradit, atque suo æuo omnes eius terminos in CHRISTVM D. N. credere affirmat. Confirmant & B Irenæus, & Arnobius. Beatus etiam Martyr Cyprianus ad Hispanos scripsit Episcopos, sicuti & Sanctus Pontifex Dionysius ad Seuerum Cordubensem Antistitem, de eius metropolis parœciarum diuisione. Atque alij antiquissimi Patres, & Sanctissimi Martyres, qui suis palmis Iberiam nostram exornârunt.

[a] Aduersùs Iudæ.

CAP.

CAPVT VII.

Diocletiani, & Maximiani persecutio, & Datiani aduentus in Hispaniam, eorumque dira sauitia.

1 PErsecutionibus continuatis, pulcherrima Martyrum segete, & messe Hispania est locupletata. Omnium atrocissima Diocletiani, & Maximiani fuit. Impij, & immanes carnifices Christianitatem auellere, & abolere omni sunt ope conati. Sed fertiles, pinguésque Ecclesiæ agros igni & cruore opimiores, & vberiores fecere. Et multitudine & magnitudine fructuum, ac varietate illustriores, & pulchriores excelluere. De tetris his Auernalibus monstris Orosius [a], *Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente vastari Ecclesias, affligi, interficique Christianos decimo post Neronem loco præceperunt. Quæ persecutio omnibus ferè anteactis diuturnior, immaniórque fuit. Nam per decem annos incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, cædibus Martyrum incessabiliter acta est.* [a] Lib. 7. c. 25.

2 Crudelissimis publicatis edictis in vniuersum imperatum, comminationibus additis. Et gratissimum Principibus, fore, eósque iubere. Omnes ordines in Christianos incitari, & inuehi. Eorum proscribi, & publicari bona. Templa dirui, solóque æquari. Vniuersos religionis exuri libros. Honoribus priuari. A militia arceri: eiúsque cingulis discingi, & exauthorari. In tetras tradi, & trudi carcerum custodias. Immanibus torqueri, & cruciari tormentis, & cruciatibus. Cunctis machinis & machinamentis dilaniari, lancinari, cogi idola colere, thus adolere. In ciues & amicos, quasi infestissimos in hostes, sceleratósque perduelles, noxiósque prædones, parricidas animaduerti.

3 Nefarij tyranni sibi simillimos in prouincias misêre, qui sua exequerentur edicta. Hi quasi lupi famelici vespertini dentibus, vnguibus CHRISTI gregem mitissimum, & innocentissimum absumere, deuastare, & deuorare ingenti curarunt ferocia, & malignitate. Ferro, & igni nulli parcere, non generi, non nobilitati, non humilibus, non ingenuis, non seruis, non ætati, non sexui. In omnes sæuire, prout eorum liberrimæ, & ferocissimæ collibitum libidini.

4 Anno igitur tercentesimo tertio pestilentissimus draco Datianus missus Præses in Hispaniam venit. Priusquam eam ingrederetur, plures in ea martyrio fuerant coronati. De bestia illa tarturea Clarissimus Cardinalis (quem nouisse, maximi æstimo) Cæsar Baronius [b]. *Hispaniarum,* inquit, *Ecclesiæ eadè in eas persecutione vrgente, vehementissimè exagitatæ sunt. At cocussæ licèt, nõ disiectæ, etsi afflictatæ, non tamen prostratæ sunt. Quin potiùs eo motu,* [b] Tom. 3. anno 303. §. 134.

atque

atque concussione magis, magísque firmatæ, solidiúsque stabilitæ (quod CHRISTI *virtutis est) latiùs propagatæ. Agebat Præsidem in Hispania his temporibus Datianus, Rictiouaro Galliarum Præside nihilo humanior, neque clementior. Etenim crudelitate ambo visi sunt simul certasse, quísnam eorum sæuiora tormenta nosset excogitare? quis maiorem Christianorum numerum cogeret à religione deficere? quísve numerosiorem fidelium multitudinem neci traderet pro viribus ambo studentes, solicitiori ea in re nauata operâ, conciliari sibi gratiam Principum, quam noscerent nullo maiori officio promereri posse, quàm Christiano sanguine, Christianæque religionis interitu. Datianus etsi in omnibus fermè Hispaniarum ciuitatibus, cùm ex more Proconsulum prouincias circumiret, crudelitatis suæ reliquerit Christiano sanguine impressa vestigia, ad carnificinam tamen de eisdem exercendam delegit nobilissimam, amplissimámque ciuitatem Cæsaraugustam.*

5 Verùm ille à Pyrenæis iugis exorsus vniuersos perculit populos, ac suæ sæuitiæ terrore cõcutere curauit. Minis tamen, lethíve periculis deterrebantur nullis fideles, vt à fide desciscerent. Plurimi interimebãtur, hilares tamen omnes ad interitum properabant. Ingreditur ferociens bellua Barcinonem. Variis plures mactatos cruciatibus obtruncat. Non illum puduit florentem ætatula tenera virginem vnguibus lacerare ferreis, ac machinis roseum discerpere corpus. Vicit illa rugientem, & obgannientem, & vti candidissima, & in eius effigie columba auolauit ad Sponsum. In alios contumax ferociebat triceps Cerberus.

6 Pergit Cæsaraugustam maiori exagitatus furore. In vndique conquisitos ciues, instar in frumenti aceruos vallatos liliis sues, & apros immittit immanes, qui eos voraci deglutiãt ingluuie. Anthropophagi carnibus spurci, & sanguine non saturantur. Suppliciis enormibus, insolitis, & inauditis obuios omnes exanimat, & interimit cruciatibus. Excisa cadauera sanctissima noxiorum corporibus misceri iubet, simúlque cuncta flammis consumi. Ne sacri à fidelibus collecti colerentur cineres. At Martyrum in vnum conglobati, niue apparuere candidiores. Atque candida dicta est Massa. Reliqui vti iniquorum carbonibus tetris remansere similes.

7 Senem deinde Antistitem Valerium, Leuitámque Vincentium vinctos Valentiam, quò proficiscebatur, trahi iubet. Itineris labore, & afflictatione vexatos vt cogeret à fide deficere. Atqui robustiores, & fortiores ea exercitatione athletæ præstantissimi euasere. Vincítque Vincentius tortuosi tortoris diras artes, & machinamenta. Verbera, vngulæ, equulei, crates, carceres, ignes, ipsíque fatiscunt carnifices, & lassantur. Consumptis omne genus cruciatibus vincens Vincentius palmatam inductus purpuream chlamydem triumphans peruenit ad Dominum.

8 Toleti Leocadiam ergastuli vexata situ, & squalore virgo sanctissi-

ma

ma dolore oppressa impollutum in cælum emisit spiritum. Abulæ Vincentium, Sabinam, & Christetam crudeliter perimit.

9 Inde bestiali rictu & fame exæstuans infami vix fantes infantes Iustum & Pastorem Compluti obtruncat sæuissimus canis.

10 Nullus denique fuit locus, in quo barbarica eius & fanatica rabie non fuerit Martyrum coaceruata multitudo. Nefarius omnium scelerum crudelitatis colluuione natus carnifex Pacem Iuliam, & Eboram demum peruasit. Heic itineris cruentissimi finis, non tamẽ sanguinis inexplebilis sitis fuit. Ad Aureolam in via Pacensi oppidum semi dirutum hodie lapideam quasi suæ expeditionis erexit metam. Extremam eam fuisse in ea declarauit, ac totius Hispaniæ Præsidem egisse dixit. Inscriptione addita, quæ omnibus nota tũc fuit, & funestissima populis.

D. D. NN.
AETERN. IMPP.
C. AVRE. VALERIO
IOVIO DIOCLETIANO
ET M. AVR. VALERIO
HERCVLEO
MAXIMIANO
PIIS FEL. SEMPER AVGG.
TERMINVS INTER
PACENS. ET EBORENS.
CVRANTE P. DATIANO
V.P. PRAESIDE HH.
N.M.QVE EORVM
DEVOTISSIMO
HEINC PACENSES

Ex altera parte Eboram versùs,

HEINC EBORENSES.

Resendius in epistola ad Queued. A. Moral. lib. 10. c. 1.

CAPVT VIII.

Alij Præsides in Bætica, & Lusitania.

1 PAri insania, & furore Præsides alij, etiam & ipsius Datiani Legati in Bætica & Lusitania in Christianos sæuire omni studio sunt conati. Has prouincias Datianum non adiisse asserunt omnes. Atque Hispali Diogenianus Iustam, & Rufinam virgines comprehẽsas equulei extensione, vngulis lancinatas, & excarnificatas diuexauit, illámque inedia, hanc ceruice confracta necauit.

2 Propè Gades ad fundum Vrſonianum Seruandus, & Germanus, immani viatore Vicario vrgente, poſt carceres, verbera, ſitis, ac famis anguſtias, & longinqui itineris afflictationes, quas ferro onuſti perpeſſi ſunt, ceruicibus cæſis victores in cælum migrarunt.

3 Patritiæ Cordubæ Aciſclus, & Victoria fratres ab impio Præſide Dione, qui in eos dementi ſæuitia ebrius eſt debacchatus; per varios raptatos cruciatus, in flumen immerſiones, ergaſtula, hæc mammillis abſciſſis, ſagittis confecta, ille decollatus illuſtriſſimo cõſummato martyrio ſunt coronati. Eadémque die Nouembris ſeptima decima, & deinde eadem in ſingulos annos die pulcherrimæ protuberantes decerptæ ſunt roſæ.

4 Fauſtus etiam ea in ipſa colonia Ianuarius, & Martialis ab Eugenio Præſide arrepti naribus, & auribus diſſectis, ſuperciliis raſis, dentibúſque ſaxo comminutis in ardentem coniecti rogum, gloriosè de deliro triumpharunt carnifice.

5 Eccleſiæ tunc temporis præerat Cordubenſis Sanctiſſimus Antiſtes Hoſius, toto orbe conſpicuus; & præclarus, vt inſignis tradit C. Baronius [a]. Fuit magnus ille Apoſtolicæ Sedis Legatus, Nicæni, & aliorum Conciliorum Præſes & pater. In hac quoque perſecutione intrepida conſtantia CHRISTI fidem eſt profeſſus, ac ſæuiſſimè cruciatus. Teſtatur ipſe in epiſtola ad Imperatorem Conſtantium. *Ego*, inquit, *confeſſionis munus ex pleui primùm cùm perſecutio moueretur ab auo tuo Maximiano.* Beatus retulit Athanaſius [b], cùm priùs dixiſſet. *Neque, quòd pater eſſet Epiſcoporum reueriti ſunt; neque, quòd Confeſſor erat, pudore commoti ſunt; neque, quòd ſexageſimum annũ à confeſſione agebat, & eo amplius, reſpexerunt.* De eodem B. Pontifex Nicolaus Primus [c] ad Photium, *Quicquid*, inquit, *in Sardicenſi Sancti Patres Concilio ſtatuerunt, inter quos* HOSIVS *ille famoſus, & magnus inuentus eſt.* Huius Concilij primas ipſi B. defert Athanaſius. Præſidem enim & patronum agebat, ſicut eius acta teſtantur, quorum initium, *Hoſius vrbis Cordubæ Epiſcopus dixit* [d].

a Tom. 3. anno 303. §. 142.

b Epiſt. 3. ad ſol.

c Epiſt. 11.

d Sozomẽ. lib. 3. c. 11. C. Baron. anno 347. §. 10.

6 Superuacanei, nimíſque fuerit laboris, ſi vniuerſorum, qui in Hiſpaniis in hac perſecutione martyrio ſunt coronati, ſola recenſeam nomina. Omitto. Non autem Beatiſſimam Eulaliam Emeritenſem virginem. Eius glorioſum agonem eleganti Prudentius cecinit carmine. Martyrem Calpurnianus Datiani Legatus eóque deterior, & crudelior fecit. Licèt in Martyrologiis etiam Romano dicatur, quòd ſub Maximiano Imperatore iuſſu Datiani Præſidis paſſa fuerit. Veriſſimè id. Calpurnianus namque Datiani Legatus eo iubente Emeritam Auguſtam profectus eſt. Atque eius nomine vicéſque gerens & poteſtatem Chriſtianos exagitauit, inſectatúſque eſt.

7 Calpur

7 Calpurniæ gentis Romæ familiæ tres plebeiæ, *Bestia, Bibulus, & Cæsonius*. Rursum & hi, *Frugi, & Piso* cognominati. A Calpo Numæ Regis filio originem duxisse in eodem Numa Plutarchus scribit. Fauet Horatius in arte Pisonis Pompilium sanguinem concinens. Lucanus etiam ad Calpurnium Pisonem, eius creditur poëmation esse, non autem, vt vulgò, Ouidij. Plebeiæ licèt in exordio extiterint, cæterùm ob egregia facinora postea celebres, & Consulares.

8 Calpurniorum frequens in Liuio vniuersáque Romana historia, honorificáque mentio. De his Antonius Augustinus, Fuluius Vrsinus, Cuspinianus, Panuinius, Goltzius, Gruterus, Andreas Schotus ad Annales Pighij, & alij. In his nullum de Calpurnianis verbum. Nihilominus, an Calpurnius, vel Calpurnianus Datiani fuerit Legatus dictus, non disquiro. Viderint critici. In Bætica Calpurnios fuisse, Calpurnius Saluianus ciuis Cordubensis testis. Fuit ex his vnus, qui [a] Quinctum Cassium vulnerarunt. Ab eo, si ille primus, non autem alij, propagata posteritas. Atque indigitata Calpurniana, oppidum medio itinere Cordubam inter, & Vrgauonem. Heic Calpurnium nobis inscriptus exhibet lapis superiùs positus. Antoninus, & Ptolemæus Calpurnianam habent. Nominis vestigia in oppido Carpio adhuc manent.

[a] A. Hirtius de bell. Alexand.

9 Vrgauonensis Calpurnius à religione nostra alienum, séque gentium superstitioni addictissimum declarauit. Libero Augusto titulum, sacerdotalia munia inculcauit. Omnia verò non alio sanè nomine, quàm vt Imperatoribus gratificaretur, & promereretur gratiam. Forsan ea etiam ipsa vrgente persecutione. An autem eam promptissimè in municipio Datiano iubéte prouexerit ipse, non malè dubitari potest. Idémque ipse fuerit, qui Emeritæ plures martyrio affecit. Ideóque à nostris in contemptum Calpurnianus nuncupatus: vt qui indignus à nobili degenerauerit familia, aut libertus alicuius ex ea, se ille Calpurnium vocabat; vulgus Calpurnianum. Beatæ Eulaliæ historia, & Prudentius tradunt, Datiani Legatum aliunde Emeritam adueniſſe. Suspicari, & coniectare fas, non verò affirmare. Magnorum iudicio libenter sto.

CAPVT IX.

In Hispaniis, aliisque prouinciis plures fuere Martyres, quàm qui in antiquis commemorantur monumentis.

1 ESitu, obliuionísque carcere duos tantùm Bonosum, & Maximianum Martyres eruit Flauius. At vbi passos dixit, plures reperti. Vndecim crania integra, & fracta è nebulosa caligine in lucem sunt

eruta. Quasi tellus dehiarit, nonnullos terret. Qui se in hunc dedant hiatum pauci, aut nullus. Atqui erroris non nemo arguit. Non historicos, non ipsum Flauium rem tam memorandam posteris prodidisse. Nisi fortè hos diuersos ab duobus illis. Sed qui miratur, mirari desinat. Non omnia, quæ tam iniqua gesta sunt tempestate, scripto tradita sunt.

2 Innumeram Martyrum fuisse multitudinem, qui in persecutionibus, tum præcipuè Romæ, tum etiam in Hispaniis aliisque prouinciis ex Ecclesiasticis commentariis certissimò constat. In persecutione Diocletiani, & Maximiani, quæ per decem est exercita annos, ingentior extitit numerus, quàm rationis calculus iniri queat. Anastasius Bibliothecarius in vita Sancti Pontificis Marcellini scriptum reliquit, *intra triginta dies septemdecim millia hominum promiscui sexus, per diuersas prouincias numeratos esse, qui martyrio coronati sunt, Christianos.*

a Lib. 8. c. 6. in fine. 3 Eusebius Cæsariensis [a] de rebus in Oriente gestis prodit, multos Nicomediæ, ex Imperatoris familia post varia certamina cælestis victoriæ præmia reportasse, Sanctóque Antistiti Anthimo interempto ingentem frequentissimam Martyrum turbam adiunctam fuisse. Cúmque regia Nicomediensis conflagrasset, & percrebuisset incertus rumor, id à Christianis facinus perpetratum: ex his, qui ibi versabantur, Impp. iussu aceruatim, alij ferro, alij flammis crudelissimè sunt necati. Fictitia etiam suspicione cùm fuisset vulgatum à Nostris imperio insidias parari, Imperatorum exiit, publicatúmque edictum, *vt omnes Ecclesiarũ Præsides, vtpotè eâ de re suspecti, in carceres, & vincula conijcerentur, adeò, vt spectaculum illarum rerum, quæ deinceps gerebantur, omnem explicandi facultatem longè superet. Nam multitudo infinita vbique gentium in custodiam conclusa fuit. Et carceres passim, qui iam olim homicidis, & mortuorum sepulchris conditorum expilatoribus parati fuerant, tunc Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, & Exorcistis penitus referti, vt his, qui maleficiis tenebantur obstricti, nihil illeic loci esset reliquum.* Si soli Clero, vt testatur Eusebius, carceres non sufficerent, in quos laici trudebantur? His & illis custodia præpropera, néxque præceps. Subdit deinde [b],

b Cap. 7.

4 *Cùm aliud edictum fuerit insecutum, in quo præcipiebatur de his, qui tenebantur in carcere, vt qui immolare vellent, abire in libertatem permitterentur; qui inficias irent, infinitis tormentis diuexarentur. Multitudo Martyrum, qui denuo in singulis prouinciis occumbebant, à nemine dinumerari potest.* Si numerari nequibat, nominari poterat?

5 Romæ multa millia Martyrum clarissimis mortis modis, cruciatibúsque oppressa interiere. Depositi per vrbis regiones Notarij, qui nomina, & eorum notarent acta, & agones. Non cunctorum sanè, sed præcipuorum & nobiliorum literis consignarunt. In pluribus, quæ Romæ

sunt,

ſunt, cœmeteriis iacent ſine numero Martyres, quorum nomina in libro vitæ, non tamen priſcis mortalium monimentis ſunt conſcripta. Quamobrem additum ſingulis Martyrologiis dierum lectionibus. *Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum & Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

6 In eodem, octauo Kalendas Iulij ſcriptum. *Romæ commemoratio Sanctorum plurimorum Martyrum, qui ſub Nerone Imperatore de Vrbis incendio per calumniam accuſati, diuerſo mortis genere ab eodem iuſſi ſunt ſæuiſſimè interfici, quoniam alij ferarum tergis contecti laniatibus canum expoſiti ſunt, alij crucibus affixi, alij incendio traditi, vt vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis deſeruirent. Erant hi omnes Apoſtolorum diſcipuli, & primitiæ Martyrum, quas Romana Eccleſia, fertilis ager Martyrum, ante Apoſtolorum necem tranſmiſit ad Dominum.*

7 Paulus item Oroſius [a] ait. *Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculeus in Occidente vaſtari Eccleſias, interfici Chriſtianos decimo poſt Neronem loco præceperunt.* Addit Euſebius [b], *Impij illi Imperatores propoſitis palàm edictis, & omni adhibito conatu Chriſtianorum nomen penitus è mundo tollere ſperabant.*

8 Ex Chronographis non plura. Ad calculum ſedeo, ſub Diocletiano, Anaſtaſio teſte, quolibet decem annorum menſe Martyrum ſeptendecim millia ſunt cæſa. Vicies centena quadraginta millia multiplicatus efficit numerus. Pius, doctûſque Pater Franciſcus Arias [c] ſingula ſæcula, perſecutiones, ac prouincias recenſet, & cenſet denique cum Gilberto Genebrardo [d] triginta millia Martyrum quolibet anni die coli, & computari poſſe. Alióſque hunc numerum tradidiſſe. De vnica Roma Thomas Bozius [e] colligit millia Martyrum trecenta. Sed ampliorem numerum nouit, cui ſtellarum ſolus notus. Ille ex humanis libris, hic ex vitæ, qui certior eſt. Beatæ autem Brigittæ [f] is eſt reuelatus. *Si menſurares terram centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine, & ſeminares eam plenam puris granis tritici, quodlibet verò granum daret fructum centuplum, adhuc eſſent plures Martyres, & Confeſſores Romæ à Sancti Petri tempore vſque Cæleſtinum*, eum nimirum qui tunc ſummus erat Pontifex.

Martyrum in ſola Diocletiani perſecutione duo milliones, & quadraginta millia.

9 Non adeò immanis Diocletiani in Hiſpania fuiſſet perſecutio, ſi non plures, quàm qui commemorantur, in ea fuere coronati. Quid igitur tam dira, & perhorrenda illa fuit, ſi Toleti, Hiſpali, Cordubæ, Malacæ, aliiſque in vrbibus, & oppidis non alij, quàm ij, quos legimus Martyres occubuere? Fide & religione tunc florebant Eccleſiæ. Innumeros ad brauium cucurriſſe, quis ibit inficias? Non omnes, ſed primarij ductores, primipili, triarij tribuni, & anteſignani pictaciis ſunt deſcripti. Thebeæ legionis vnus nominatur Mauritius. Vndecim millium virginum Vrſula. Sic etiam plurimi, quos omitto.

10 Vrgauone Bonosvs & Maximianvs Duces hi præcipui. Eos

a Lib. 7. c. 21.
b Lib. 8. c. 3.
c De imit. Christi lib. 3. à cap. 32. in 35.
d Pſal. 78. verſ. 4.
e De ſign. lib. 12. c. 22.
f lib. 3. c. 27. Reuel.

non tantùm illi, quorum corpora nunc sunt reperta, sed multi alij commilitones in agone fuere. Non vndecim tantùm illi, sed plures. In fossa à castri postica parte extra oppidũ vallo diruta ossium plurima inuenta sunt fragmina. Corporum numerus nullus, quia ex illis iniri nequit. Hi itaque, nõ parua manus, antiquo ritu, fidéque DEVOTORVM [a], quos habuit Hispania, vt Gallia Soldurios simul cum illis, quorum fidei & amicitiæ dediti deuouerunt, mortem CHRISTI D.N. maximè vniuersi caussâ appetiere, & oppetiere fortiter.

[a] De deuotione Hispan. Strabo lib. 3. Plutar. in Sertor. Valer. Dio Cass. lib. 53. Max. lib. 1. c. 1. Seruius lib. 4. Georg. de Sold. Cæsar de bell. Gal. lib. 3 Athẽ. lib. 6. & eius schol.

11 Acerbissimis tormentis torquebantur Martyres. Intuentes fideles non exanimati, sed animati ad eadem perferenda prosiliebant. Pro nihilo cruciatuum truculentiam, & dolores reputabant. Vllo absque metu & terrore se Christianos profitebantur. Cum gaudio læti & hilares extremam capitis damnationem excipiebant. Nec prouocabant. Ad supplicium sereno, placidóque vultu Psalmos, hymnósque concinentes pergebant. De his plurima illustrissimáque refert Eusebius [b], & quædam quæ ipsemet conspexit.

[b] Lib. 8. c. 10. & 11.

12 Sub his impiis Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano sæuissima in Hispania fuit & diutina carnificina, & laniena. In eam Præsides & iudices incubuere crudelissimi. Vndique sanguinis Christiani confluebant riuuli. Iam prorsus extinctam credidere illi religionem. Ac quasi victores, (verè tamẽ ipsi victi) in trophæa duos erexere cippos. Quos velut gloriosos, honorificósque Imperatorum titulos inscribi curarunt. Cluniæ, & Areuaci olim extitere. Hi testes infandi facinorum & multitudinis ingentis Martyrum, qui passi sunt. Non aliter suis Principibus tantum persecutores arrogassent, & tribuissent honorem.

Habet Aldus ab Cæsar. cõment. A. Morales lib. 10. c. 28. Adolphus OEc. inter numism. Dioclet. Gruterus pag. 280. C. Baronius anno 304. §. 8. pluresque alij.

DIOCLETIAN. IOVIVS ET MAXIMIANVS
HERCVLEVS CAESS. AVGG.
AMPLIFICATO PER ORIENTEM
ET OCCID. IMP. ROM. ET NOMINE
CHRISTIANORVM DELETO, QVI
REMP. EVERTEBANT.

In altero verò,

DIOCLETIAN. CAES. AVG.
GALLERIO IN ORIENTE ADOPT.
SVPERSTITIONE CHRISTI VBIQVE
DELETA CVLTV DEOR. PROPAGATO

Impia credulitas, vanáque euanuit eorum spes. Et ampliùs dilatata, & propagata fides. Non multo pòst tempore Illeberritanum est Conciliũ celebratum. In eo multa sunt stabilita, & constituta, in quibus planè

nè Ibericum pelagus, piscibus non exhaustum fuisse liquet. Neque id adeò piscosum, vel maiori è verriculo euacuari potuisse.

CAPVT X.

Martyrum acta sicut & nomina, non omnia extant.

1 DVcentos amplius annos ante Diocletianum Traiano de Christianis Plinius scripsit [a]. *Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantùm, sed vicos etiam, & agros superstitionis istius contagio peruagata est.* Tertullianus de hac epistola, *Plinius* [b], inquit, *Secundus cùm prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret consuluit tunc Traianum Imperatorem.* De eadem agit Eusebius [c], innumerósque tradit in ea persecutione passos. De iis Cardinalis Baronius [d]. *Quinam autem fuerint Martyres, quos fortes in confessione persistentes Plinius, (vt ipse scribit) duci iussit, nullam apud Græcos, & Latinos mentionem inueni. Vt vel hoc vno exemplo planè intelligas, innumeros esse propemodum Martyres, quorum non tantùm acta obliuioni data sint, sed & omnis memoria ab Ecclesiasticis tabulis penitus exciderit.*

[a] Li. epist. 97.
[b] Apol. c. 2.
[c] Lib. 3. c. 2.
[d] Tom. 2. anno 104. §. 9.

2 Minimè igitur mirari oportet, si acta, & omnia nomina Martyrum Vrgauonensiũ non extant. Qui nõ Romæ, (de Romæ coronatis Cardinalis est sermo) sed in municipio, cuius vnus & alter ex priscis meminere. Atqui extitisse olim Martyrologia testantur aliqua. Excidisse tradit Baronius, quia quæsita non inuenit, sicut & Galesinus. Flauius nobis actorum primum & præcipuum protulit caput, sub quo videlicet Præside. Quo agente ad palmam prouenere martyrij.

3 Centesimo post Traianum anno vixit Tertullianus. Hic quàm latè Christiana fuerit sacra religio propagata, quantus & propè immensus Martyrum numerus, his indicat verbis ad Scapulam [e], *Crudelitas vestra, gloria est nostra. Vide tantùm, ne hoc ipso, quòd talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, vt hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed vltrò vocare. Arrius Antoninus in Asia, cùm persequeretur instanter, omnes illius ciuitatis Christiani ante tribunalia eius se manu facta obtulerunt; &c. Hoc si placuerit & heic Carthagine fieri, quid facies de tantis millibus hominũ: tot viris, ac fæminis omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit.*

[e] c. 4.

4 An non hæc eadem ipsa in Hispania etiam gesta, & forsan maiora, quàm in multis aliis prouinciis? Non tamen ea in tabulas relata. De vna Cæsaraugusta coniicere, & odorari debitum & par, quæ in similibus vrbibus gesta sunt. De illa Prudentius [f].

[f] Peristephan. hymno 6.

Sola

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti:
Sola prædiues pietate multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Pœni
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te decus nostrum, superare in isto
Munere digna est.

5 Carthago, quia ciuium multitudine, sicut & Roma cæteras excederent vrbes. Roma etiam, quoniam non ex iis tantùm, qui in ea degerent, sed nobiliores, qui eius in orbe erant, ad capitale subeundum iudicium trahi sunt soliti. Sicuti Apostolorum Principes, ac B. Ignatius, aliíque ciues Romani. Quos Plinius annotatos in vrbem remittendos scripsit.

6 Subdit deinde Tertullianus. *Nec tamen deficit hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cùm cædi videtur.* Quod expertus nouerat affirmauit. Et Iustinus Martyr Tryphoni. *Haud secus, quàm si quis vitem putatione prouocet ad vbertatem.* Clemens item Alexandrinus [a]. Græca quidem Philosophia, siquis magistratui prohibuerit, ea statim perit. *Nostra autem doctrina à primâ vsque prædicatione prohibentibus Regibus, & tyrannis magis floret.* B. quoque Ambrosius [b]. *Sicut aurum bonum, ita cùm vritur Ecclesia, eius fulgor apparet.* Dixit & Hilarius [c]. *Dum opprimitur crescit.* Magnus Leo Primus [d]. *Non minuitur Ecclesia persecutionibus, sed augetur. Et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.*

a Lib. 6. Strom.
b c. 9. in Luc.
c Lib. 7. de Trin.
d Serm. de BB. App. Petro, & Paulo.

7 Contra opprimentium opinationem, & spem Martyrum innumera pullulabant germina. Puelli, & puellæ tenelli, & purissimi formáque speciosi cum parentibus, nutricibus, & propinquis trucidantium manibus risu, & hilari adspectu sese tanquam agnos mitissimos vltroneì offerebant.

8 Temporum iniuria, & hominum forsan incuria Vrgauonensium Martyrum certamina perierunt. Atqui illa si cupis nosse, nosce, & aliorũ, quæ scripta sunt, simillima illis fuere. Sic reputa, & crede, quæ intercisa latent. Quid discere, & obrutu intueri exoptas? Finge tibi, ex his, quæ inuentionis eorum narratio continet, ac de exemplorum propositione, quæcumque, de cæteris referuntur Sanctis, de iis etiam eadem repræsentari posse. Ideo plurima sunt in vnum collecta ad eorum confirmationem, quæ Dominus hisce diebus ad sui nominis gloriam, & Sanctorum honorem magnalia est operatus. Vt adstruamus eiusdem apud eum meriti ipsos esse, qualis illi fuerunt, quos eodem similíque dignitatis gradu & honore ipse affecit.

9 Audi etiam, quid Chrysostomus de Euangelica illa tuba prædicet [e].

e Homil. 55. in Act. Apostol.

Et illa, B. Pauli, talia sunt vincula, tormenta, pugnæ, carceres, insidiæ, calumniæ, ac mortes quotidianæ. Vidisti illius paruam partem, ita se habent & reliqua. Vnam cæli partem si videris, quocumque ieris, videbis talem. Atqui si eandem propè non contemplari contigerit, mente concipe qualem velis. In his nostris Martyribus vincula, scorpiones, manicas, compedes ferreáque alia cruciamenta tempore consumpta, non tamen eorum capita, & minutissima ossicula. Sunt præcipitia, lapidationes, cineres, carbones, fornaces. Ipsæque fauillæ ipsorum cruore impinguatæ. Isque ab illis inter digitos, tanquam scaturientibus venis expressus profluens. Cogita sæuitiam furorémque tyranni, qui acerbissimo non exaturatus spectaculo, nec exempta fame, ardentiore sanguinis æstuabat siti.

10 Concipe, & mente conspice quinquennem pulcherrimum puellum ad martyrium alacrem properantem. Puellam etiam non maiorem suo rubentem sanguine in rogum præcipitatam. Artúsque vtriusque partim flammis combustos, partim dispersos, & inter cineres & terram quasi conculcatos, & contritos. Grandia sanè sunt, quæ nobis sacra leipsana, quo reperta sunt modo, repræsentãt. Singula scrutare, & recogita, ac non facilè assequêris: at assequêris, qualia ac quanta sint, quæ ipsa magis, quàm si ipsa eorum acta legisses scripta, ostendunt, & indicant.

CAPVT XI.

Punitorum cadauera sepulchri caruere honore, eorum maximè, qui maiestatis, similiúmque criminum rei damnati fuere.

1 VIcta est torquentium, & iubentium efferata feritas. Triumphant Sancti, quos lædi nefarium fuit flagitium, nedum occidi. Viuunt his, quos perimere ardentissimè concupiere tyranni. Scelesti tenebras, horrores, carceres, & ignes & cruciatus patiuntur ipsi sempiternos. Lucem, gaudiúmque Domini sui possident illi, quos insanos, & fatuos, & vitam sine honore asseuerabant. Atqui illi verè insensati, & sontici insontes, & innocentes rabie, rabidóque impetu infestabant: ac auidis inhiabant faucibus sanguine exsaturari. Sed & ipsos igni & loci situ prorsus consumi, & squalore omni affectarunt conatu. Dominus tamen conseruauit, & per tot sæcula inhumatos humatos nunc honorificè vult.

2 Mirabilia magna hæc calumniantur nonnulli, nullíque non ipsi graues, & fastidiosi. Quæ ad vnum vniuersi probant viri religiosi, irreligiosè ipsi improbant. obiiciunt multa. In primis hominum, & bestiarum simul ossa reperta. An etiam noxiorum, & infidelium mixta? Verùm non

" aliorum, quàm Martyrum esse certissimò existimo, & assero. Assertio-
" nem hanc meam, & omnium rectè sentientium multis firmabo argu-
" mentis.

Cicero 2. de leg. L. mortuorũ 4. de relig. & sumpt. fun. & eadem codẽ titulo in Codice. l. Prætor. §. D. Hadrianus. 7. de sepulch. violat.

3 Duodecim tabularum lege cautum, *In vrbe ne sepelito, néve vrito.* Prohibitum & aliis constitutionibus. Paulus lib. 1. sententiarum. *Corpus in ciuitatem inferri non licet, ne funestentur sacra ciuitatis.* Cicero proposita lege duodecim tabularum subdit, claros aliquot viros in vrbe sepultos. Eorum videlicet cineres, qui triumphassent, & hostium victores fuissent, inferri licuit. Idem mos Atheniẽsibus à Sulpicio asseritur Seuero [a]. Qui de M. Marcello collega suo à P. Magio eius familiari interfecto ad Ciceronem, *Cui*, inquit, *funus satis amplum faciundum curaui. Ab Atheniensibus locum sepulturæ intra vrbem, vt darent, obtinere non potui. Quòd religione se impediri dicerent: neque id antea cuiquam concesserant.* Ad vrbium portas, littora maris, lucos, montium radices, & alia loca pro cuiusque gentis ritu cadauera sunt humata. Omitto.

a Cicer. lib. 4. famil. epistolæ Sulpicij Seuer.

4 Romani publicos hostes, vltimóque affectos supplicio, sepulchri priuarunt honore. Atque omnes etiam illos, qui sibi hostium essent locò: vt parricidas maiestatis caussa damnatos, similibúsque sceleribus obstrictos, vt à similibus hæc pœna cunctos deterreret Eósque in scalas Gemonias, in Tyberin vnco trahendos, publicatis bonis proiici, insepultósque manere imperabãt. De M. Clodio Valerius Maximus [b]. *M. Clodium Senatus Corsis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit. Quem ab hostibus non acceptum in publica custodia necari iussit. Semel læsæ maiestatis imperij quot modis ita pertinax vindex factum eius rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus contumeliâ carceris, & detestanda Gemoniarum scalarum notâ fœdauit.* Idem de Q. Cæpione [c]. *Is præturæ splendore, triumphi claritate, consulari decore, Maximi Pontificatus sacerdotio, vt Senatus patronus diceretur, assecutus, in publicis vinculis spiritum deposuit, corpúsque eius funesti carnificis manibus laceratum in scalis Gemoniis iacens magno cum horrore totius fori Romani conspectum est.*

b Lib. 6. c. 3. §. 6. anno Vrbis 577.

c Lib. 6. c. 9. §. 13.

5 Seueritatem funestam humanitate Augustus mitigauit. Vlpianus [d], *Corpora*, inquit, *eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt. Et id se obseruasse etiam D. Augustus libro decimo de vita sua scribit. Hodie autem eorum, in quos animaduertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quàm si fuerit petitum, & permissum. Et non nunquam non permittitur, maximè maiestatis caussâ damnatorum. Eorum quoque corpora, qui exurendi damnantur, peti possunt, scilicet, vt ossa, & cineres collecta sepulturæ tradi possint.* Addidit Marcianus [e], inconsulto Principe deportatos & relegatos & multis petentibus non licuisse.

d L. 1. 7. de cadauer. puniror.

e l. vltima 7. eodem titulo.

6 Punitorum tamen cadauera, etiam qui perduellionis fuerant rei, aliquando non insepulta ostendit Plutarchus [f]. qui, *Nemo*, inquit, *quisquam eorum in quo tunc* (Lentulum nempe, & Cethegum) *à Cicerone fuit animad*

f In Antonio, in principio.

animaduersum, fuit sepultura prohibitus. Sed hoc alia ex caussa, accusata magis, quàm excusata, nec in exemplum.

7 Illud sanè certissimum, maiestatis reos, & damnatos, in Gemonias proiectos, ac in Tyberin raptatos & mersos. Dio Cassius [a] de Seiano. *Seianus*, inquit, *in carcerem conijcitur. Nullâ interiectâ morâ, eâdem die propè carcerem in ædem Concordiæ conuenit Senatus*, &c. *ac morte eum damnarunt. Itaque capite mulctatus in Gemonias proiectus est: eúmque totum triduum populus ludibrio habitum in Tyberin misit.* Idem de Seiani amicis. *Omnes enim, qui huiusmodi criminis iudicabantur, non equites modò, sed Senatores etiam, non viri tantùm, sed & mulieres in carcerem vnà trudebantur: aut à rupe Tarpeia eos tribuni plebis, vel ipsi etiam Consules præcipitabant. Omnium corpora in forum proijciebantur, inde in profluentem fluuium mittebantur.* De iisdem Suetonius [b]. *Mox* (Tiberius) *in omne genus crudelitatis erupit, nunquam deficiente materia, cùm primò matris, deindè nepotum, & nurus, postremò Seiani familiares, atque etiam notos persequeretur*, &c. *Citati ad caussam dicendam, partim se domi vulnerauerunt*, &c. *partim in media curia venenum hauserunt, & tamen colligatis vulneribus, ac semianimes, palpitantésque in carcerem rapti. Nemo punitorum, non & in Gemonias abiectus, vncóque tractus. Viginti vno die abiecti, tractíque sunt, inter eos pueri, & fæminæ. Immaturæ puellæ.* Multa & alia Tacitus; sedet Iuuenalis [c].

[a] In Tiberio.

[b] In Tiberio c. 61.

[c] Satyr. 10.

——Seianus ducitur vnco
Spectandus: gaudent omnes. Quæ labia!
Quis illi vultus erat?
——Curramus præcipites, &c.
Dum iacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem:
Sed videant serui, ne quis neget, & pauidum in ius
Ceruice obstricta Dominum trahat, hi sermones
Tunc de Seiano, secreta hæc murmura vulgi.

8 In Tiberium Seianum coniurasse tradunt hi, eáque pœna affectum. Imputauit sibi Tiberius [d], & doluit, quòd Agrippinam strangulatam in Gemonias non abiecerit. Tacitus [e]. *Agrippina æqui impatiens, dominandi auida, virilibus curis fæminarum vitia exuerat. Eodem die defunctam, quo biennio antè Seianus pœnas luisset: memoriæque id prodendum addidit Cæsar: iactauítque, quòd non laqueo strangulata, neque in Gemonias proiecta foret.*

[d] Sueton. in Tiber. c. 53.

[e] Lib. 6. anno 786.

9 Suetonius [f] de ipso Tiberio vita functo. *Morte eius ita lætatus est populus, vt ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberin clamitarent*, &c. *Alij vncum & Gemonias cadaueri minarentur.* At verò quosdam, qui ante eius obitum fuerant damnati, *custodes ne quid aduersùs constitutum facerent, strangulauerunt, abiecerúntque in Gemonias.*

[f] c. [illegible]

10 Missa facio alia exempla, non autem quæ de Sabino, eiúsque cane Cassius, & Plinius tradunt. Ille [g], *Ea ipsa die in carcerem coniectus est Sabinus. Deinde indicta caussa necatus, & corpus in Gemonias proiectum, ac pòst in flumen*

[g] Lib. 58. in princ.

missum. Eius casus atrocitatem adauxit canis Sabini, qui cum eo in carcerem iuit, morienti affuit, denique cum eo in pluuium se præcipitauit. Plinius verò [a]. *Cùm animaduerteretur ex caussa Neronis Germanici filij in T. Sabinum, & seruitia eius, vnius ex his canem nec à carcere abigi potuisse, nec à corpore recessisse, abiecto in gradibus Gemoniis, mæstos edentem vlulatus, magna populi Romani corona circumstante. Ex qua cùm quidam ei cibum obiecisset, ad os defuncti tulisse. Innatauit idem cadaueri in Tyberin abiecto, sustentare conatus: effusa multitudine ad spectandum animalis fidem.* In eo & fides, & commiseratio, non autem in mortalium aliquot præcordiis, Marpesia durioribus caute. Tiberij certè crudeliora, à quo [b] *interdictum ne capite damnatos propinqui lugerent. Decreta & accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus.*

a Lib. 8. c. 40.

b Suet. in Tib. c. 65.

CAPVT XII.

Magnum defunctis decus sepulchrum.

1 VIta functis eximius honor, & decus sepulchrum. De eo Homerus [c],

Hic est honos mortuorum.

c Iliad. 16. lib. 11.

Virgilius [d],

Interea socios, inhumataque corpora terræ
Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est.

d 11. Æneid.

Ennius in Cicerone [e] sepulchrum vocat portum corporis. *Neque sepulchrum, quo recipiat, habeátque portum corporis. Vbi remissa humana vita corpus requiescat à malis.* Ideo idem Homerus ait, Hectora ab Achille petiisse, vt se hoc prosequatur beneficio, ne canibus se apud naueis dilacerandum præbeat, sed Troiam pretio accepto remittat, vt à viris matronísque Troianis sepeliatur. Priamus idipsum cupiens per media hostilia castra ad arrogantissimum perrexit Achillem. Ab eo supplex multis magnísque propositis muneribus filij obtinuit cadauer. Idem Hector Græcis, vt atrox malum est comminatus.

e lib. 1. Tuscul. quæst.

Quem autem ego longè à naribus videro,
Ibidem ei necem afferam, neque eum propinqui,
Neque propinquæ mortuum comburent,
Sed canes ante vrbem nostram dilacerabunt.

Patroclus Achillem in somnis orat, vt se quàm primùm sepeliat. Aiax in Sophocle, iam iam sibi latus perfossurus Iouem orat, vt mittat aliquem, qui suæ necis nuntium perferat, vt ab illo tumuletur, & ait:

Ne ab hostium conspectus priùs
Proijciar canibus expositus,

Et

Et volatilibus ludibrium.

Addo quod obscœnè prænuntiauit futurum Horatius [a], *a* Epod. od. 5.

Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.

Vultures, & corui, quibus miserorum cadauera voranda ad Esquilinam proiiciebantur portam. Notant Arro, & Porphyrius.

2 Mezentij preces ad Æneam Virgilius [b] etiam cecinit. *b* Lib. 10. Æneid.

Vnum hoc per (si qua est victis venia hostibus) oro
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare odia, hunc (oro) defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulchri.

In eius respexit honorem Cicero [c], dum, *Maiores*, inquit, *nostri statuas multis decreuerunt, sepulchra paucis. Sed statuæ intereunt tempestate, vi, vetustate: sepulchrorum autem sanctitas in ipso solo est, quòd nulla vi moueri, neque deleri potest. Atque vt cætera extinguuntur, sic sepulchra fiunt sanctiora vetustate. Augeatur igitur isto honore is vir.* Dixerat priùs. *Nullum honorem desiderat. Cur decernit honorem sepulturæ, qui maximus haberi potest mortuo?* Seruius [d] etiam de Miseno, qui ab Ænea humo tradendus curabatur. *Qui enim de pietatis operibus scripserunt, primum locum in sepultura esse voluerunt. Vnde cùm Pontificibus nefas esset cadauera videre, tamen magis nefas fuerat, si visum insepultum relinquerent.* *c* In Ant. Phil. 9. *d* Lib. 6. versu, Præcipuè pius.

3 Miserrimum sanè, ac ignominia infame, & contumelia funestum iudicatum, si inhumatum cadauer maneret. Màximè verò si extra aggerem in Esquilinis puticulis iaceret, illuc reiectatum feris & alitibus laniandum, aut in Gemonios gradus in Tyberin proiiciendum vnco raptaretur, aut alio quouis modo insepultum, ab huiusmodi arceretur honore. Exaggerat Seneca Tragicus [e], *e* In Thyeste versu 739.

——— At pueri statim
Pectore receptus ensis, in tergo exstitit:
Cadit ille, & aras sanguine extinguens suo,
Per vtrumque vulnus moritur. CHOR. *O sæuum scelus!*
NVN. *Exhorruistis? Hactenus non stat nefas:*
Plus est. CHOR. *An vltra maius, aut atrocius*
Natura recipit. NVN. *Sceleris, hunc finem putas?*
Gradus est. CHOR. *Quid vltrà potuit? Obiecit feris*
Lanianda forsan corpora, atque igne arcuit?
NVN. *Vtinam arcuisset, ne tegat functos humus,*
Ne soluat ignis. Auibus epulandos licet,
Ferisque triste pabulum sæuis trahat;
Votum est sub hoc quod esse supplicium solet.

4 Supplicium vtique reputatum sæuissimum. Nec hoc solum, sed ipsa

lancinata cadauera spargere. Suetonius [a] de Nerone, & Druso à Tiberio interfectis. *Amborum*, ait, *sic reliquiis dispersis, vt vix quandoque colligi possent.* Dio etiam Cassius [b] de ipsis eadem fermè, ac populi Romani iniquè ferentis dolorem.

[a] In Tiberio c. 54.

[b] Lib. 59. anno 786.

5 De Pyrrhi discerpti dispersione Ouidius,

Nec tua, quàm Pyrrhi feliciùs ossa quiescant
Sparsa per Ambra cias, quæ iacuere vias.

De se idem, respiciens ad huiusmodi atrocitatem,

Ergo summotum patriâ, proscindere liuor
Desine, neu cineres sparge cruente meos.

Damnati omnes sub Tiberio, teste Tacito [c] bonis publicatis sepulturæ honore arcebantur. Quo Tiberius Gracchus [d] hostis iudicatus, vltimo supplicio affectus est spoliatus. Lusit Seneca in Claudium, vncóque raptum dixit. Retulit & Cassius [e] locum etiam Domitij Afri. Cuius auxilium cùm quidam reorum imploraret, à Gallico destitutus, qui in Tyberin fuerat missus, *Quis*, inquit, *tibi me natatorem meliorem esse Gallico indicauit?*

[c] Lib. 5. Annal

[d] Val. Max. lib. 4. c. 7. & Plutar. in Gracch.

[e] lib. 60.

6 Quid referam Imperatoribus occisis opprobria inlata infamia, turpiáque ludibria. De Galba Suetonius & Plutarchus. De Vitellio iidem, & Dio Cassius. Obtruncati per vrbem summo dedecore raptati in scalas Gemonias, deinde in Tyberin vnco tracti immissi. Instar cæterorũ maiestatis reorum. De teterrimo monstro Heliogabalo Ælius Lampridius, Herodianus, & Xiphilinus. Traditum eius est cadauer plebi insanæ, pérque totam vrbem raptatum ac dilaniatum, in cloacas abiectum, vt inde in Tyberin deferretur, ne vnquam sepeliri posset.

Impij pœnas subiere, quas alios luere coëgere. [f] *Quia* (Sapientiæ oraculum) *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

[f] Sap. c. 11. 17.

CAPVT XIII.

Non negata vel hostibus sepultura.

1 QValis, ac quanta Martyribus fuerit irrogata iniuria, huius supplicij fœda enormitas manifestè declarat. In scopum hunc fusiùs exempla proposui. Hi etenim omnes ideò sepulcri decore priuati, vel quia simulato, aut vero maiestatis crimine, & perduellionis fuerant insimulati. Eorum quandoque Augustus cadauera obseruauerat denegandà. Huiusmodi nec lugeri licebat. *Non solent* (Vlpianus [g] dixit) *lugeri*, (*vt Neratius ait*) *hostes, vel perduellionis damnati, nec suspendiosi, nec qui sibi manus intulerunt, non tædio vitæ, sed mala conscientia.* Assentit Marcellus [h]. *Minimè*

[g] l. liberorum 11. §. non solent. 7. de his, qui notant, in fam.

[h] l. minimè 35. de relig. & sump. funer.

nimè maiores lugendum putauerunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venerit.[a] Horatius sororem occidit, quia lugebat virum à se prælio victum, & necatum. Qui lugeri prohibentur, etiam & funerari. [a] Liuius lib. 1.

2 More de hoc Rom. Cicero [b], ac docet *pœnam diuinam esse ex rerum euentibus. Atque, Omnia perditorum ciuium scelere religionum iura polluta sunt. Circumspicite celeriter animo, qui sint rerum exitus consecuti. Nos, qui illam custodem vrbis, omnibus ereptis nostris rebus, ac perditis, violari ab impiis passi non sumus, eámque ex nostra domo in ipsius patris domum detulimus, iudicia Senatus, Italiæ, gentium denique omnium conseruatæ patriæ consecuti sumus. Quo, quid accidere potuit hominum præclarius? Quorum scelere religiones prostratæ, afflictæque sunt, partim ex illis distracti, ac dissipati iacent. Qui verò ex his, & omnium scelerum principes fuerunt, & præter cæteros in omni religione impij, non solùm vita cruciati atque dedecore, verùm etiam sepultura, ac iustis exequiis caruerunt.* [b] Lib. 2. de legib.

3 Idem exprobrat Cicero [c] maximam huiusmodi sæuitiam Sexto Clodio. *Tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo, tu in publicum eiecisti, tu spoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Quam rem etsi necessariò fecisti, tamen quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam.* Etiam in inimicum exhorret Cicero facinus atrox. [c] In orat. pro Milone.

4 Idem etiam Athenienſibus mos, immo lex. Euryptolemus de ea in Xenophonte [d]. *An*, inquit, *ignoratis viri Athenienses, legis decretum esse potentissimum, quod iubet. Si quis populum Atheniensem iniuria affecerit, vinctum coram populo caussam dicere, & si iniurius esse cõuictus fuerit, interfectum in barathrum proijci debere, publicatis bonis, ex quibus decima Deo sacra sit? Periclem verò, si vultis, ea iudicate lege, quæ contra sacrilegos lata est, & quâ illi, qui ciuitatem prodere conantur, seu qui sacra furati sunt, in foro iudicari consueuerunt. Qui si conuincantur, in Attica sepeliri prohibentur.* [d] Rerum Græc. lib. 1. circa fin.

5 At seuerior lex hæc in Dione Chrysostomo [e]. *Volo igitur, quod Athenis factum scio. Puto autem & heic fieri secundùm legem quamdam admodum iustam vobis dicere. Ille enim quando publicè ciuium quendam ob scelus commissum mori oportet,* PRIVS ILLIVS NOMEN E PVBLICIS TABVLIS DELETVR. An hæc lex in Christianos fuerit seruata, dubitari potest. At certè obseruatam in plurimis, maximè existimo. Prosequitur ille. *Quamobrem? Primùm quidem ob hoc, ne, qui ciuis sit, tale quid patiatur, sed quantum fieri potest, in peregrinorũ sit habitus numero. Deinde supplicij ipsius (puto) id nõ minima esse videtur pars, quòd nec appellatio ampliùs appareat illius, qui huc progressus est scelerum. Sed omnino obscuretur. Sicuti etiam puto, quòd nõ sepeliuntur proditores.* VT NVLLVM RESTET AD POSTEROS SCELESTI VIRI MONVMENTVM. Hoc est quod maximopere Tyrãni curabãt, Martyrum vt aboleretur memoria. [e] In Rhodiaca oratio.

6 Qui

6 Qui crucibus ſuffixi à militibus cuſtodiebantur, donec tabe conſumpti deciderent,& oſſa diſſiparentur, in Petronio aliquid. De Cleomene Plutarchus.

7 Multa millia interfectorum in amnem proiecta. Idem in Gracchis prodit Plutarchus. [a] Sulla Prænestinorum quinque millia crudeliſſimè necari,& per agros diſpergi imperauit. Milites etiam qui iniuſto Rhegium occuparant bello virgis cæſos, ſecuríque percuſſos ſepeliri, lugeríque vetuit Senatus.

[a] Val. Max. lib.9.c.2.

8 Prædonibus, impiis,ſacrilegis, ac huiuſmodi ſceleribus implicitis hoc ſupplicium irrogatum. Verùm aliis ex cauſſis, quàm perduellionis, & maieſtatis diuinæ,vel humanæ damnatorum cadauera punita petentibus humanda tradebantur. Præclarè Demoſthenes [b]. *Quis enim ignorat omnium, viuentes omnes inuidiæ, vel plus, vel minus eſſe obnoxios.* IN DEFVNCTOS AVTEM ETIAM HOSTIVM ODIA CONQVIESCERE. Horatius apertè [c].

[b] De Corona in G. L.357.

[c] Lib.1.Epiſtola 1.

—— Diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore ſubegit,
Comperit inuidiam ſupremo fine domari.

Idem Demoſthenes [d] de Lycurgi liberis. *Illum dum viueret, pœnas dediſſe oportuit; hos verò,nec ſic quidem propter obiecta patri à quibuſdam crimina per iracundiam plecti. Omnibus enim omnium delictorum meta eſt obitus.* Homeri [e] & gnome aurea.

[d] Epiſt.3. pag.114.

[e] Lib. vlt. Iliad.

In terram ſiquidem ſenſu,& ratione carentem
Sæuit iratus,vanam qui vlciſcitur vmbram.

Apud Sophoclem Antigona precatur, Polynicis occiſi ſinat humari caput. Ac mortuo parcat, nec perditum pungat. Non fortitudinis eſſe. Et iterum Homerus [f],

[f] Odyſſ.Σ

Non eſt pietas contra occiſos viros gloriari.

Eius etiam Scholiaſtes tradit,peruulgatum eſſe à Leone non mortuum attingi. Atque animi eſſe leonini, ideóque generoſi defunctorum honori parcere.

9 Partem in vtramque multa Cicero [g]. Ex his illud, *Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles,lacerari eum,& ſentire, credo, putat. Ergo hic vlciſcitur, vt quidem ſibi videtur. At illa, ſicut acerbiſſimam rem mæret, vidi videre, quòd me paſſa ægerrimè*

[g] Lib. 1. Tuſc.quæſt.

Curru Hectorem quadriiugo raptarier.

Quem Hectorem? Aut quandiu ille erit Hector. Melius Actius, & aliquando ſapiens Achilles,immò verò corpus Priamo reddidi,Hectorem abſtuli.

10 Piiſſimum vniuerſis id ſemper viſum gentibus. Vita functum hominem humo tanquam parenti reddi. Mortuis tumulus debitus. Tributus

&

& à barbaris etiam hostibus. Lysandrum iure reprehendit Pausanias [a], magnóque illi dedecori, & probro vertit, *quòd ad Ægas Potamos Philoclem Atheniensem de classis prætoribus vnum, & Atheniensium quatuor millia dedititiorum occidi, & occisis terram iniici vetuit. Cùm & Persius, qui ad Marathonem ceciderant Atheniensium, & iis Lacedæmoniis, qui ad Thermopylas mortem oppetierant, Xerxis sepultura contigerit. Ac Persæ quidem, vt humarentur se curasse dicunt Athenienses. Quod pium existimarent mortuos terræ mandare.* [a] Lib. 9.

11 Si Lysandrum iure merito Pausanias reprehendit, multo iustius Cæsarem Lucanus, quòd cæsos in Pharsalica pugna victos comburi, aut humari vetuit. Sententiísque frequentibus rem damnat atrocem, ac Annibalis meminit, de quo Valerius [b]. *Aliquanto ei plus gloriæ Paulus, Gracchus, & Marcellus sepulti, quàm oppressi attulerunt. Siquidem illos Punico æstu decepit, Romana mansuetudine honorauit.* Laudat ibidem Cæsaris humanitatem in Magni Pompeij caput. [b] Lib. 5. c. 1.

12 Magna id à Græcis pietate curatum ostendit Xenophon [c]. *Græcos,* ait, *mortuos sepeliendi vrgebat cura. Et Archidamus quidem eo loco, vbi præclarè gesta res est, trophæum statuit, ac interfectorum corpora hostium per præconem ad sepulturam postulata concessit.* Idque celebre frequénsque in Virgilio, qui hac in sententia Homero humanior fuit. [c] Lib. 6. de exp. Cyri minoris, & de rebus Græc. lib. 7.

13 Verris immanitatem Cicero [d] exagitat. *Multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Verumtamen mors sit extrema. Non erit. Est ne aliquid vltrà, quò progredi crudelitas possit? Reperietur. Nam illorum liberi, cùm erunt securi percussi, ac necati, corpora feris obiicientur. Hoc si luctuosum est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem. Onasum Segestanum dicere audistis, se ob sepulturam Heraclij nauarchi pecuniam Timarchidi numerasse.* [d] Lib. 7.

14 Disertè declamat ac dissertat Quintilianus [e] damnatis sepulchrum non negandum, omnésque huius officio piissimo fauere debere mortales. Hinc factum vt si punitorum non peterentur cadauera, certus erat deputatus publicus locus, in quo sepelirentur. Ne autem opus esset, vt poscerentur à Principe, quasi eximia indulgentia, & pietate impij Diocletianus & Maximianus constitutum voluerunt, [f] *Obnoxios criminum digno supplicio subiectos sepulturæ tradi non vetamus.* At Christianos, quia indigni, exhumari iubebant, & humari vetabant; itaque illi ipsi legem à se latam abrogabant. In Rufino vti maiestatis damnato nec seruata. Plura sunt, quæ in eum eleganti carmine cecinit Claudianus, quàm hîc inseri oporet. [e] Declam. 7. corporis proiecti. [f] l. obnoxios C. de religion. & sumpt. funer.

15 Acerbissimum sanè supplicij genus, ipsâque nece grauius & molestius sepulturâ arceri. Prædixit Dominus Ieroboam animaduersiones, & ignominias [g]. *Qui mortui fuerint de Ieroboam, in ciuitate comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli.* Ido- [g] 3. Reg. 14

a Ierem. 22. 18. Iolatriæ condigna pœna. Ioachimo Iosiæ filio Ieremias [a]. *Propterea hæc dicit Dominus ad Ioakim filium Iosiæ regem Iuda: Non plangent eum,* &c. *Sepultura asini sepelietur, proiectus erit extra portas Ierusalem.* Chaldaica paraphrasis. *Sicut proijciunt cadauer asini, sic proijcient cadauer eius.* scilicet in sterquilinium. Suidas. *Instar equi alicuius sepulchrum in voragine habebit. Putrefactus* סחוב *sachob.* Raptatus, vnco tractus, atque adeò dilaniatus & proiectus auibus, lupis & canibus pabulum.

b Deuter. 21. 23. 16 Lege tamen scripta cautum à Domino [b]. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti suspensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur.*

17 Quanta sanctis Patriarchis sepulturæ cura fuerit, sacræ ostendunt literæ. Optimè B. Augustinus [c], *Vnde,* inquit, *& antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa. Ipsique dum viuerent, de sepeliendis & transferendis corporibus filiis mandauerunt. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandúmque commendat, quòd vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad sepeliendum eum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum, diligenter, atque honorificè tegendum sepeliendúmque curarunt.* De sepulturæ commendatione plura Angelicus Doctor [d].

c Lib. 1. de ciu. Dei. c. 13.

d S. Thom. 2. 2. q. 32.

18 De funeribus, & sepulturis præclarè multi scripsere. Latissimum stadium vel Alcidi non facile.

19 Illud tamẽ firmum, cadauera punitorum dummodo non maiestatis, aut perduellionis caussa sepulturæ condi solita. Nullúsq; ab ea vel hostis arcebatur. Christiani verò martyrio coronati nec precibus, nec pretio permissi sepeliri, cùm hostes hostibus liberè humari concederent. Tradunt, asserúntque plures. Aristoteles, Dio, Chrysostomus, Plato, Plutarchus, Isocrates, Lysias, Demosthenes, Aristides, Xenophon, Liuius, Valerius Maximus, Thucydides, & alij.

CAPVT XIV.

Nefaria, truculentaque scelera ac crimina immania & detestanda Christianis falsissima imposita, ipsisque mala quæcumque contingebant tributa.

1 IESV CHRISTI D. N. gloriosissimam Ecclesiam nunquam nõ impij impugnarunt, & impugnant. In eius exordio calamitates omnes, cunctáq; mala, quę mortalium miseram diuexant vitam, Christianis imputabat gentilitas. Tum his, tum aliis ex caussis infensissimè infestabantur.

tur. Ipsósque variis calumniis, falsísque impositis flagitiis immani odio Ethnici criminabantur. Disertissimi plures ex nostris editis libris liberè, & constantes inuidiosas dissolutas criminationes repulere. Exacerbati sunt magis, quàm eorum maleuolentiæ, & malignitati est satisfactum. Atque clades & strages, & alia quæ obiiciebant, & accusabant scelera.

2 Apud Romanos, cunctásque gentes, id summum semper fuit in Deum delinquere scelus. Hoc maiestatis crimine grauius, & immanius creditum. Asserit Vlpianus [a]. *Proximum sacrilegio crimen est, quod maiestatis dicitur.* Ab illo hoc superatur. Vti impietatis rei accusati, & vt athei damnati Christiani. Afer Arnobius [b], *Ergo nè impiæ religionis sumus apud vos rei, &, quod caput rerũ, & columen, adimus obsequiis (vt conuitio vtamur vestro) infausti, & athei nuncupamur?* Impij piis hoc prosequebantur elogio. Et in theatris acclamatum, αἶρε τοὺς ἀθέους, *Tolle, eiice Atheos.* Marcus Imperator, Iustino Martyre referẽte, pro Christianis ad Senatum, *Quapropter*, ait, *æquũ est, quos atheos, & à Diis alienos esse suspicati sumus, vt eos norimus, Deum in conscientia sua sponte illapsum, atque inclusum (seu potiùs incolentem) habere.* Athenagoras etiam, *Trium flagitiorum rumor de nobis spargitur, impietas, quæ Deos tollat, epulæ Thyesteæ, concubitus incesti.* Idem item Iustinus [c], *Indignus namque est,* (Crescentius) *qui Philosophus, & sapientiæ amator dicatur, propterea, quòd publicè de rebus, quas ignorat, videlicet, quòd Christiani athei, prorsúsque sine Deo, & impij sint, asseuerat.* Atque alibi eadem iterum Tertullianus [d] etiam meritò exclamat. *Non horum tantùm, sed omnium Christianum hominem scelerum reum, Deorum, Imperatorum legum, morum, naturæ totius inimicum existimas, & cogis negare, vt absoluas, quem non poteris absoluere, si negauerit. Ideò torquemur confitentes, & punimur perseuerantes, & absoluimur negantes, quia nominis prælium est. Sed illud solum exspectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, & non examinatio criminis, quando si de alio nocente cognoscitis, non statim confesso eo, nomen homicidæ, vel sacrilegi, vel incesti, vel publici hostis (vt de vestris elogiis loquar) contenti sitis ad pronuntiandum, nisi & consequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, tempus, conscios, socios.*

[a] l. 1. ff. ad l. Iul. maiest.

[b] Lib. 1.

[c] Apolog. 1

[d] Apol. c. 2.

3 Eleganter, quàm fuerit odiosus, & detestabilis, Christianitatis titulus, & nomen probat. Sacrilegi, quasi athei dicti. Huiuscemodi encomia ad inuidiam, odium, & offensionem, ficta, & in eos iactata. Vocati etiã sunt publicæ, priuatæque quietis & pacis perturbatores. Simúlque spuriæ superstitionis contemptores, & vltronei abiectores. Idque genus plurima alia ipsis inlata flagitia. *Dicimur*, Tertullianus ait, *sceleratissimi de sacramento infanticidij, & pabulo inde, & post conuiuium incesti, quod euersores hominum, canes, lenones scilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundiâ procurent.* Cæca malignitate in Sanctorum despectum, & detestationem hæc, & alia figmenta obiiciebant. Tatianus [e] eos redarguit. *Apud*

[e] In oratione.

nos non inueniuntur hominum vorationes, falsi testes, hoc crimine contra nos conficto deprehensi estis. Apud vos autem Pelops Deorum epulis apponitur, & amatus Neptuno puer: & Saturnus filios, & Metim Iupiter deuorat. Eusebius etiam Cæsariensis. *Vnde accidit, vt nefaria quædam opinio de nobis excitata, eáque ab omni ratione alienissima per infidelium animos longè, latéque peruaderet. Quòd videlicet, tum nefando concubitu matres, & sorores violare, tum etiam scelerato quodam alimenti genere vti non vereremur* Dixit & Athenagoras. *Mentiti sunt de nobis Thyesteas cænas, & Oedipeos concubitus.*

4 Magicarum, maleficarum technarum & artium sunt insimulati. Suetonius tradit [a]. *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ.* Cecinit & Prudentius [b],

Quod cùm tumenti nuntiatum est iudici,
Commouit iram fellis implacabilis,
Quousque tandem summus hic nobis magus
Inludit, inquit, Thessalorum carmine,
Pœnam peritus vertere in ludibrium?

Respexit Tertullianus [c], & allusit, & vxori ait. *Latebis ne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas, cùm aliquid immundum flatu expuis; cùm etiam per noctem exurgis oratum, & non magiæ aliquid videberis operari.* Martyrum mirabilia signa imposturis magicis impij tribuebant. Eorum acta similium dicteriorum irrisionibus sunt referta.

5 Longè peiora consultò prætereo, & turpissima crimina, immo falsissima mendacia, quæ Cæcilius ipsis obiecta retulit, & Minutius scripsit in Octauio. Ac Marcus innuit Imperator, Christianos aliquando apud se deterioris fuisse conditionis, quàm qui majestatis crimine obnoxij. Siquidem in Romanum conspirare imperium, & in Deos bellum gerere censerentur. Ex his, aliisque scelestissimi æstimati [d]. *Quapropter non solùm ædificiis publicis, balneis & foro illis interdictum, sed etiam ne quisquam vsquam locorum in conspectum prodiret, inhibitum.*

6 Non Romani habebantur, sed exotici, & peregrini: perduelles, & proditores. *Propterea*, ait Tertullianus [e], *igitur publici hostes Christiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant.* Scilicet, quia Diuos ipsos non compellarent, nec vt Deos venerarentur, vt ipse paulò antè dixerat [f]. *Nec volunt Romanos haberi, sed hostes Principum Romanorum.*

7 Hæc illis impacta delicta populos ipsis infensissimos, & inimicissimos concitabant. Omnes clades, calamitates, & strages eorum caussâ accidere credebant, & imputabant, atque dolenter, sed temerè querebantur, & clamosè quiritabant. In Eusebio [g] Imperator Marcus commentitia hæc omnia affirmauit. *Cæterùm de terræ motibus, qui vel præterierunt,*

a In Nerone cap. 16.
b In Romani agone.
c cap. 4.
d Euseb. lib. 5. c. 1.
e Apolog. cap. 35.
f cap. 34.
g Li. 4. c. 12.

runt, vel iam sunt, non alienum à ratione videtur, vos commonefacere, quandoquidem & cùm adsint, animos demittitis, & infelices vestri omnium casus in religionem, tanquam eorumdem caussam transfertis. At illi cùm tale quid eueniat, constantiùs, firmiúsque Deo fidunt. Dixerat in ipso exordio. *Ac quibus hominibus iam ipsi grauem exhibetis molestiam, & tanquam impios, atque à Deorum cultu auersos insimulatis, eorum planè, quam habent, magnopere confirmatis religionem. Illis enim magis in optatis est, vt in crimen adducti mortem pro Deo suo oppetant, quàm vt vita fruantur.* Hanc verò calumniosam eleganter Tertullianus diluit querimoniam. *At è contrario illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum, & proborum conspirant, qui aduersùs sanguinẽ innocentium conclamant, prætexentes sanè ad odij defensionem illam quoque vanitatem, quòd existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse caussam. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cælũ stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem. Tantos ad vnum. Et tamen si pristinas clades comparemus, leuiora nunc accidunt, ex quo Christianos à Deo orbis accepit. Ex eo enim, & innocentia seculi iniquitates temperauit, & deprecationes Dei esse cœperunt.*

8 His obtrectationibus, & etiam iniuriis diuexabant, & insectabantur ipsos impij maleuoli. Arnobius [a]. *Postquam esse in mundo Christiana gens cœpit, terrarum orbem periisse, multíque formibus malis affectum esse genus humanum, ipsos etiam cælitos derelictis curiis solemnibus, quibus quondam solebant inuisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos. Statui pro captu, ac mediocritate sermonis contraire inuidiæ, & calumniosas dissoluere criminationes.* Dissoluit sanè ipse, & beatus etiam Martyr Cyprianus aduersùs Demetr. *Cùm dicas plurimos conqueri, quòd bella crebriùs surgant, quòd lues, quòd fames sæuiant, quódque imbres, & pluuias serena longa suspendant, nobis imputari tacere vltrà non oportet.* Non aliter certè, quàm Israelitæ ingrati, in Deum & Mosem commeritam mortem Chorebæth. referebant. Ita gentes huiusmodi malà in Christianos oblatrantes deuoluebant, cùm illa Deus ob scelera, & flagitia in illos ea immitteret mala.

a Lib. 1. in principio.

9 Origenes [b] non reticuit. *Propter multitudinem Christianorum dicunt fieri bella, & fames, & pestilentias. Frequenter enim famis caussâ culparunt Gentiles, & quicumque sapiebant, quæ gentium fiunt: sed & pestilentiarum caussas ad Christi Ecclesiam retulerunt. Scimus autem, & apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, & factas fuisse quasdam ruinas, ita vt qui erant impij extra fidem caussam terræ motus dicerent Christianos, propter quod, & persecutiones passæ sunt Ecclesiæ, & incensæ sunt. Non solùm autem illi, sed & qui videbantur prudentes talia in publico dicerent, propter Christianos fiunt grauissimi terræ motus.* Miserrimus tunc insipientium Christianorum videbatur status. At felicissimus in conspectu Domini. Profundebatur eorum sanguis, sed non exhauriebatur. Eius stillicidia, immo riuuli agrum fœcundabant Ecclesiæ. Qui

b In Matth. cap. 24. tract. 28.

centesimum amplius & millesimum fœnerabant fructum.

10 Prosequitur Cyprianus. *Quòd autem bella crebriùs continuant, quòd sterilitas, & fames solitudinẽ cumulant, quòd sæuiẽtibus morbis valetudo frangitur, quòd humanum genus populatione vastatur. Et hoc scias esse prædictum, in nouissimis temporibus multiplicari mala, & aduersa variari, & appropinquante iam iudicij die magis, ac magis in plagas generis humani censuram Dei indignantis accendi. Non enim sicuti falsâ querimoniâ, & imperitiâ veritatis ignara iactat, & clamitat, ista accidunt, quòd dij vestri à nobis non colantur, sed quòd à vobis non colatur Deus.* Multa & alia eleganter exequitur, & vrget ipsos esse suorum caussas malorum.

11 Leuissimis decepti opinationibus, immo cauillationibus sacrilego & obstrepero oblatrabant ore. Quemadmodum pueri ignari alij in alios inuehuntur; sic illi velitabant non pueri, sed senes; & tamen vt pueri probris & iniuriis Sanctos insectabantur. Atqui persecutionem procellis nauicula Petri concussa iactabatur, sed non mergebatur. Templa deiiciebantur ad terram, at vt pulchriora & celsiora in cælum exurgerent.

12 Cùm etiam Ecclesias pax protegeret, & illustraret, & ipsi etiam eas fouerent Imperatores; hæc iniquissima quiritatio, & blasphemum murmur non cessabat. Beatissimus Augustinus [a] cruditissimos de Ciuitate Dei aduersùs huiusmodi vesanas obtrectationes libros conscripsit. Qui inquit, *Occurrit mihi respondendum esse primitus eis, qui hæc bella, quibus mundus iste conteritur, maximéque Romanæ vrbis recentem à barbaris vastationem Christianæ religioni tribuunt*, &c. Iterum. *Memento me ista commemorantem, adhuc contra imperitos agere: ex quorum imperitia illud quoque ortum est vulgare prouerbium, Pluuia defecit caussa Christiani*, &c. *Atque hoc apud vulgus affirmare nituntur, clades, quæ per certa interualla locorum, & temporum genus humanum oportet affligi, caussa accidere nominis Christiani*, &c. Et alibi [b]. *Quando auditis contumaciter garrire blasphemos, abundare pressuras temporibus Christianis. Scitis enim, quòd hoc amant dicere, & vetus quidem, sed à temporibus Christianis cœpit prouerbium, Non pluit, dic ad Christianos.* Et iterum [c]. *Nemo dicat, melior erat mundus, quàm modò, ex quo cœpit iste medicus artem suam exercere. Horrenda videmus*, &c.

a Lib. 2. c. 2. & 3.

b Tom. 8. in Psal. 89.

c Tom. 11. serm. 59.

13 Beati Augustini hortatu, & iussu Paulus nostrâs Orosius suam scripsit historiam. Cuius non desunt iniqui censores in ipsorum proprium dehonestamentum. Scioli magis, quàm scientes cuiusque rei & temporis iusti esse æstimatores. Tam iniustè garriunt isti, quàm illi, de quibus ille infit [d]. *Præceperas mihi, (Beatissime Pater Augustine) vt aduersùs vaniloquam prauitatem eorum, qui alieni à ciuitate Dei, ex locorum agrestium compitis, & pagis pagani vocantur, siue Gentiles, qui terrena sapiunt, qui cùm futura non quærant, præterita autem, aut obliuiscantur, aut nesciant, præsentia tantùm tempora, veluti malis extra solitum, infestissima ob hoc solum quòd creditur* CHRISTVS, *& colitur* DEVS, *idola minus coluntur, infamant*, &c. Concinnè etiam admodum Rufinus

d Lib. 1. c. 1. & 8. & lib. 4. c. 8.

finus in ipſos detorquet inſana dicteria. *Ex quo Chriſtiani ſedibus ſuis, vrbibúſque pelluntur, & aeris lata temperies, & terræ fœcunditas abundantior, & ſegetum copia vberior?* Minimè gentium, ſed omnia in deterius ruere ſunt viſa. Ex his nobis illius vanitatis & erroris non obſcura eſt imago propoſita. At oſcura tamen, & tenebroſa, qua odium in Chriſtianos proueheret liuor. Atque in vniuerſum ſanctiſſimum abolere, & radicitus auellere conaretur nomen; & religionem infamaret, vt ab ea animos auerteret. Sed nebulonum auertit Dominus nugas. Præualuit veritas, & quos obſcurauit loliginis atro ſucco malignitas, diuinæ nunc illuſtrant, & clarificant luces.

CAPVT XV.

Exquiſitiſsimis pœnis Chriſtiani infeſtati.

1 CRiminationum, & calumniarum proterua adeò, & peruerſa contumax malitia inermes armauit aduersùs pios, qui enormibus immeritò, & falsò dehoneſtabantur ſceleribus. Solo Chriſtianorum audito nomine, quaſi rabie efferati hoſtes velut publicos, perduelles, proditores, vtriuſque maieſtatis reos exhorreſcebant. Ac vt perditiſſimos omniúmque ſcelerum damnatos immaniſſimis ſuppliciis punitos vltronei exoptabant. Accuſatos, quaſi ſacros deuouebant. Nec minori indignatione, quàm indagatione perueſtigabant. Inexpiabile, quaſi expiaturi nefarium crimen inſectabantur. Celſus in Origene [a]. *Vos vbicumque per latebras erratis, quærimus ad ſupplicium.* Clariùs Tertullianus [b]. *Latronibus veſtigandis per vniuerſas prouincias militaris ſtatio ſortitur. In reos maieſtatis, & publicos hoſtes omnis homo miles, ad ſocios, ad conſcios inquiſitio vſque extenditur.* Licèt autem dixerit Chriſtianos non inquiri: alibi tamen aſſerit [c]. *Quotidie obſidemur, quotidie prodimur, in ipſis plurimum cœtibus opprimimur.*

a Lib. 8. in fine.
b Apolog. c. 2.
c. Apolog. c 7.

2 Motæ ſunt perſecutiones. De prima Cornelius Tacitus [d]. *Ergo abolendo rumori (de vrbe incenſa) Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit: quos per flagitia inuiſos, vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius* CHRISTVS, *qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus fuerat. Repreſſa in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſum erumpebat, non modò per Iudæam, originem eius mali, ſed per vrbem etiam, quò cuncta vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebrantúrque. Hi autem in primis ſupplicio affecti ſunt à Nerone, vt ferarum tergis contecti laniatu canum, aut crucibus affixi, aut flammis in vſum nocturni luminis vrerentur.*

d Annal. lib. 15.

3 Peruerſus Nero ingenio, peruerſior iudicio, & ſæuitia in innoxios. Solerter exquiſiuit cruciatus, quibus illos torqueret. Inuenit exquiſitiſſimos.

mos. Sustinuere illi fortiter, & animosè, nedum patienter. Nil eorũ moti sunt animi. Robustiores ipsâ effecti crudelitate. Seneca[a] eidem Neroni, ad Alexandrũ tamen oratio, vt liberior esset. *Oro te, Alexander*, &c. *O quàm cuperes tibi potiùs ungues esse, tibi rictum illum edendorum hominum capacem! Non exigimus à te vt manus ista exitium familiarium certissimum, vlli salutaris sit: vt iste animus ferox insatiabile gentium malum, citra sanguinem, cædémque satietur: clementia vocetur, si ad occidendum amicum carnifex inter homines eligitur*, &c. *Noua supplicia conquirit, ingenium aduocat, instrumenta excogitat, per quæ varietur, & extendatur dolor, & delectetur malis hominum. Ferina ista rabies est, sanguine gaudere, & vulneribus, & abiecto homine, in siluestre animal transire.* O hominum dura, immò ferrea viscera, vt hominem exuunt, hominem voratura.

a Lib. 1. de Clem. c. 25.

4 De his mortalium pestiferis voraginibus Tertullianus[b]. *Sed hoc agite boni præsides, meliores multò apud populum, si illis Christianos immolaueritis, cruciate, torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra; ideo hæc pati Deus patitur*, &c. *Nec quicquam proficit conquisitior quæque crudelitas vestra. Illecebra est magis, sectæ plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.* Nullum aliud sic multiplicatum, in cælestia horrea est inlatum. Dixit & Arnobius[c]. *Quodque cùm genera pœnarum tanta sint, à vobis proposita religionis huius sequentibus leges augeatur res magis, & contra minas, atque interdicta formidinum animosiùs populus obnitatur, & ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitatur.* Demonstrat, & perspicuè, rem Martyr Iustinus. *Atqui tormenta ipsa, quibus paganismus ea spe, vt integrum se ipsum conseruaret, vsus est, paganismum ipsum aboleuerunt, Christianismum verò stabiliorem reddiderunt.*

b Apolog. c. 50.

c Lib. 2.

5 Lactantio[d] pro more lacteo profluens eloquio ex Cicerone profert, quæ Christiani paterentur, cùm boni sanctique essent. *Si*, inquit, *in eo errore ciuitas est, vt bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putat. Et bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, vratur, exterminetur, egeat postremò, iure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur.* Dixerat priùs. *Quid iis facias, qui ius vocant carnificinas veterum tyrannorum aduersùs innocentes rabidè sæuientium? Adeò ne apud vos perit innocentia, vt ne morte quidem simplici dignam iudicetis? Sed supra omnia facinora habeatur nullum facinus admittere.*

d Lib. 5. c. 12.

6 Cura sanè diligenti, & solerti ingeniosa malitia inusitatas necis indagauit vias, & patefecit, vt immanior esset. Non ita canum odora vis feras odoratur, vt immanes isti sunt odorati, quo essent cunctis ferociores feris, ac atrociores modo, & more. *Admouet*, inquit Cyprianus[e], *in laniandis corporibus noua tormenta, excogitat nouas pœnas ingeniosa crudelitas.* Eusebius etiam[f]. *Cruciatus adeò turpes, intolerandos, & huiusmodi, quos exprimere reformidat oratio. Has quidem pœnas generosi illi, & æqui scilicet iudices, quo suam solertem*

e Ad Demetr.

f Lib. 8. c. 24.

lertem indolem,& ingeniorum acumen oſtenderent,& perinde, ac ſi ſingulare quoddã ſapientiæ ſpecimẽ ea in re eluxiſſet,attentiùs excogitarunt.Atque in nouis ſuppliciorum generibus inueniendis non aliter, atque in certamine præmia aſſequi laborabant. Seque inter ſeipſos ſuperare obnixè contendebant. Cum malorum nobis impoſitorum exuberantia deinceps defeſſi eſſent. Tertullianus [a]. *Crucibus,& ſtipitibus imponitis Chriſtianos, vngulis deraditis latera Chriſtianorum. Ceruices ponimus ante plumbum,& glutinum,& gomphos* (vncos ſiue clauos,)*ad hoſtias impellimur;Ignibus vrimur,in metalla damnamur,in inſulas relegamur.*

a Apolog. cap. 12.

7 Dirum adeò nullum ſcelus eiuſmodi ſuppliciis gens barbara vlla lui voluit. Viui in ignem inferebantur. Tertullianus [b]. *Ergo vicimus,cum occidimur;denique euadimus cum obducimur*, &c. *reuincti ſarmentorum ambitu exurimur.* Plura huiuſcemodi in Martyrum agonibus Prudentius. De Romano verò,

b Apolo.

At parte campi ex altera immanem pyram
Texebat vſtor fumidus pinu arida,
Sarmenta mixtim ſubdita,& fœni ſtruem,
Spargens liquato rore feruentis picis,
Quo flamma paſtu creſceret ferociùs.

Hoc ſupplicij genus Magis irrogatum, & vt eius Chriſtiani criminis accuſati & damnati ſunt 1.Paulus [c]:*Magicæ artis conſcios ſupplicio affici placuit,id eſt,beſtiis obiici,aut cruci affigi. Ipſi autem Magi viui exurantur.*

c Lib.5. ſent.tit. 23. in Cod. Theodoſian.

CAPVT XVI.

Ne Chriſtiani Martyrum corpora venerarentur,in fauillas conuerti,& proiici,omni ſtudio contendere tyranni.

1 MAximè ignominioſum,& omnibus gentibus acerbiſſimum fuiſſe cadauera ſepulchri honore carere vidimus. Ab eo ſpoliatos Chriſtianos,& exhumatos videamus, diris poſtquam tormentis extincti, ne terræ tegerentur puluere, accuratè curabant Imperatores, etiam militari adhibita cuſtodia. Flammis conſumptos, cineres in profluentem proiiciebant.Teſtis Candida Maſſa Cæſar-auguſtana.Eſt & epiſtola Lugdunenſium ad Aſiaticas Eccleſias [a]. *Verùm cum tabes, & crudelitas in Sanctos non ita exſaturata fuit : nam ab immani, & furioſa bellua diabolo, immanes illæ,& barbaræ gentes, exagitatæ,vix, aut, ne vix quidem,à furore ſuo aliquando acquieuerunt : immò verò in corporibus Martyrum ſuam de integro contumeliam cæperunt, & maleuolentiam exercere. Nam quamuis Martyrum conſtantiâ penitus eſſent ſuperatæ, tamen quia omnem humanam rationem exuiſſent omninò : illarum amentia minimè fuit retardata, repreſsáque, ſed acerba bilis cùm Præſidis tùm populi*

a Euſeb. lib. 5. c.9.

(qui quidem in nos lethale odij sui virus euomebant) tanquàm immanis bellua magis, magisque incensa, sic, vt scriptura verè impleretur [a]. Impius adhuc impiè agat, & iustus iustificetur adhuc. *Etenim corpora eorum, quos carceris pestifer odor, & cruciatus suffocauerat, canibus laceranda obiiciunt, studiosè noctu, diúque obseruant, ne quisquam è nostris illa tumulis mandet. Tandem verò Martyrum in amphitheatro interfectorum membra, quæ nec bestiæ adhuc vorarant, nec ignis absumpserat, partim minutatim dilaniata, partim instar carbonum ambusta, quin etiam securi percussorum capita vnà cum corporum truncis collecta dies complures similiter militum excubiis insepulta custodiunt. Porrò alij fremere, & dentibus contra eos frendere cœperunt, toto animo connitentes aliquam grauiorem in ea exercere contumeliam, &c. Quæ autem ad nos videbantur sanè magnum mærorem propter ea in se complecti, quòd Martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas. Neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præsidij, neque magna pecuniæ vis eorum animos flectere, neque preces vllâ ex parte placare poterāt: Sed nullâ nō ratione, & viâ corpora illa erant assiduè ab illis obseruata: & id quasi in magno lucro deputatum, si penitus inhumata iacerent.*

[a] Apocal. 22.

Paulo pòst ista addunt. *Martyrum corpora sex dies continuos sub dio iacentia, & maxima ignomia affecta, post autem ab impiis illis, & facinorosis carnificibus exusta, inque cineres redacta in Rhodanum fluuium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quò nullæ quidem illorum reliquiæ amplius super terram restarent. Ista eo consilio patrabant, quo Deum se posse vincere, & illis regenerationem corporum prorsus eripere arbitrati sunt.*

2 Huius epistolæ, quæ lectu dignissima integrè est, clausula. *Eiusmodi persecutionis tempestas istis* CHRISTI *Ecclesiis obtigit. Vnde certè quænam fuerint in reliquis prouinciis eodem tempore factitata coniectura assequi poterimus.* At qui hos Martyrum cineres illæsos in eumdem locum, in quo fuerant combusti omnes translatos, & à fidelibus collectos, & in eorum honorem basilicam constructam, Gregorius tradit Turonensis [b].

[b] Lib. de gloria Martyr. cap. 49.

3 Mens sanè non sanior, nec modestior reliquis præsidibus in omnibus persecutionibus. Certabant inter se nouis comminiscendis tormentis. Quæcumque itaque de Lugdunensibus scripta sunt Martyribus, eadem prorsus de aliis relata verissimè sunt.

4 De Sanctissimo Vincentio Prudentius [c].

[c] Peristeps.

At Christiani nominis
Hostem (Datianum) *coquebant irrita*
Fellis venena, & liuidum
Cor efferata exusserant
Sæuire inermem crederes
Fractis draconem dentibus.
Euasit, exultans ait:
Rebellis, & palmam tulit

Sed

Sed restat illud vltimum,
Inferre pœnam mortuo,
Feris cadauer tradere,
Canibúsve carpendum dare.
Iam nunc & ossa extinxero,
Ne sit sepulchrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulúmque figat Martyris.
Sic frendit, & corpus sacrum
Prophanus (ah dirum nefas!)
Nudum negato tegmine
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames,
Aut bestiarum, aut alitum
Audet trophæum gloriæ
Fœdare tactu squallido.
Quod si qua clangens improbè
Circumuolaret eminùs
Trucis volucris impetu
Depulsa vertebat fugam.
Nam coruus Heliæ datus
Olim ciborum portitor,
Hoc munus implet sedulò,
Et irremotus excubat.
Hic ex scrutetis proximis
Infestus alarum sono,
Oculósque pennis verberans
Exegit immanem lupum.
Quis perfidorum credere
Ausit, rapacem belluam
Tauris paratam congredi,
Cessisse plumis mollibus.
Ibat malignum murmurans,
Leui volatu exterritus,
Prædámque visam fugerat
Custodis imbecillis minis.
Qui audiendi talia,
Datiane, tunc sensus tibi?
Quamuis gementem spiculis
Figebat occultus dolor?

Quum te perempti corporis
Virtute victum cerneres,
Ipsis & impar ossibus,
Vacuísque membris minor? &c.
Mergam cadauer fluctibus
Insana nunquam naufragis
Ignoscit vnda spumeum
Nescit profundum parcere.

5 Vniuersis hoc studium tyrannis,& impietatis hæc cura telluris amicimine Christianos priuare;vtque humus non operiret,quos ipsi nudauerant, simúlque cum ipsis omnis eorum interiret memoria. Cultum inuidebant, sed vanè, euanuit enim omnis spes crudeliúmque conatus. Luctamen eorum versus est in miserrimum luctum, quo affici pios credebant. De Ennatha pulcherrima Virgine Eusebius [a],quæ cùm esset nobilissima, *per vniuersam ciuitatem Cæsaream(Maxys homo non tam nomine, quàm tota vitæ ratione nequam, & vt aliis rebus scelestus,& perditus, ita tum corporis viribus supra modum robustus, tum moribus ferus, & crudelis, &c.) vndique circumduxit, loríque per totum forum, & publicas plateas tractam non sine quadam animi sui oblectatione verberauit. Quam post tot cruciatus, cùm constantissimam animi firmitudinem pro tribunali, vbi præfectus considere solebat,in fide tuenda ostendisset, iudex* VIVAM *cremandam tradidit. Iste igitur immanitate longiùs progrediens, & rabiem propè belluinam contra pios indies adaugens, adeò extrà natura leges penitùs egressus est,vt inanimis Sanctorum virorum corporibus sepulturam impudens inuideret,& propterea cadauera sub dio, vt à bestiis dilaniarentur, noctu assiduè, & interdiu seruari præcepit. Itaque non exiguum hominum numerum multorum dierum spatio huic immani, & barbaro mandato inseruientium cernere licebat. Quin etiam alij è specula, & loco edito, tanquam operæ pretium facturi ne cadauera surriperentur sedulò obseruabant. Itaque agrestes bestiæ,canes,& aues carniuoræ membra discerpserunt humana; eáque huc illuc disperserunt, & tota ciuitas vndique visceribus, ossibúsque hominum constrata fuit.*Quid inhumanius dici, aut excogitari potest?

[a] Lib.8.ca. 19.

6 Hoc ipsum vbique gentium in Christianos perpetratum nefandum, infandúmque nefas. Eóque sanè modo videor mihi videre Sanctissimos nostros Vrgauonenses Martyres post diros, immanissimósque cruciatus ferro onustos,ceruicibus abscissis,è turribus in fossam præcipites proiici. In eáque in fornaces demitti ardentes. Ac iudicem, immò carnificem solicitum, ne surriperentur inuigilare. Ac constitutis excubiis præcipere etiam pœnarum comminatione, ne patiantur cineres, & semiustulata, ossa abstrahi. Cùm & ipsa fossa satis profunda, septáque vndique, vallo circumuallata & mœnibus altis,& arduis,in eámque non facilis ascensus, nec descensus. Summa maleuolentia exagitati tyranni in corpora sæuiebant

bant, ac ſiquis illis ſenſus eſſet, inuidebant & honores, ne ipſis aliquando tribuerentur.

7 Iam humata exhumari iubebant cadauera. Euſebius [a], Idem *vnde Imperatoris iuſſu, ex piis, qui ibi verſabantur, aceruatim tanquam cumulo, alij gladiis trucidati ſunt, alij ardore flammarum corporibus circumiectarum obierunt: quo tempore fama eſt, viros, ac mulieres etiam diuinâ, & inexplicabili alacritate, ſuâ ſponte in rogum inſiluiſſe. Reliqua autem multitudo vinculis colligata, & à lictoribus in ſcaphis impoſita, in vaſtum maris gurgitem, fluctúſque præceps proiecta fuit. Famulos illos Imperatorios poſt mortem, decoro, & celebri funere terræ mandatos, Imperatores, qui eorum domini putabantur, rursùs de integro effodiendos, inque mare præcipitandos ſententiis decreuerunt. Ne (vt eorum ferebat opinio) quidam eos in ſepulchris, & monumentis conditos Deos eſſe reputantes diuinâ veneratione proſequerentur.* Si Imperatores ipſi eo animo in Chriſtianos familiares & domeſticos, quali fuerint Præſides in prouinciis, nemo non videt. [a] Lib. 8. c. 6.

8 Iure, iuſtéque queritur, & exclamat Tertullianus [b]. *Quotiens enim in Chriſtianos deſæuiſtis partim animis propriis, partim legibus obſequentes? Quotiens etiam præteritis vobis ſuo iure nos inimicum vulgus inuadit lapidibus, vel incendiis? ipſis Bacchanalium furiis, nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis iam alios, iam nec totos auellant, diſſecent, diſtrahant. Quid tamen de tam conſpiratis vnquam denotatis, de tam animatis ad mortem vſque per iniuriam repenſatis? Sed abſit, vt aut igni humano vindicetur diuina ſecta, aut doleat pati, in quo probatur.* [b] Apolog.

9 Non in ſepulchris tuti Chriſtiani; nec in ipſo azylo ſarcophagi vitâ functis immunitas immanibus à manibus: Si ſenſus illis, non certè dolerent pati, quod tolerare ſemper ipſis foret glorioſum. Ideò impium magis, & ab humanitate alienum membra extincta labefactare.

CAPVT XVII.

Chriſtianis Ethnici exprobrabant, quòd ſuorum cadauera non humarentur.

1 VTi ſummè ignominioſum, & miſerrimum Dominus ad Balſaſarem per Iſaiam [c]. *Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis, pollutus, & obuolutus, cum his, qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamentum laci, quaſi cadauer putridum.* Inſtar nimirum ſurculi abominabilis, qui vt ſtirpi nocuus, & corrugatus flacceſcit, euellitur, & pro lætamine inter excrementa proiicitur. Eodem modo, quo lethata putrida corpora in putridum, infimúmque fimetum demittuntur. Ingens profectò, excelſúſque Chriſtianis animus, qui huiuſmodi malorum onere minimè fa- [c] cap. 14. 19.

tiscebat. Sed intrepidus,& generosus has magnas, multásque alias calamitates,ipsámque mortis rhomphæam nõ expauebat. Quódque grauius est,turpissima hæc, & abiectissima corporum dehonestatem, non horrori, sed honori illi erant. Quàm animosi,& fortes fideles in tanto,ac continuo rerum omnium motu, & metu potentissimis inuitis tyrannis in fide perseuerabant, ac quasi amœnissimi horti cultores languentes herbas immisso velut rore roborabant: deficientium plantarum orbitatem germinibus nouis hæredibus supplebant, vel parturientium semina florum excipientes areolis vt excrescerent, mandabant, eásque cùm in foricas missi ac si impinguarent, vberiori fœcunditate fructificare faciebant. Gnaui peritissimíque velut agricolæ agrum Ecclesiæ ad vsum delicias omni industriâ,labore,& sudore prolatare,& colere omni studio, & curâ satagebant. Aratro, rastro, ligone insitionibus plantationibus, reliquóque rei rusticæ cultu etiam steriles glebæ felices fiebant.

2 Pro votis cuncta illis cedebant. Quò magis insipienter impij inuidi eos abolere omne conabantur ope,eò in pinguiores excrescebant fruges, ac copiosiores frumentationes.Malorum longa series eorum robusta fortitudine indefessa alebatur, & bellum immane in mouentes aduersarios recidebat.Qui victi à prostratis, & protritis,quando nil aliud in ipsos restabat,magnæ matris sinum crudeliter abnuebant.Verùm pia parens gremio amplexata suo amantissimè fouit. Et qui tunc despecti & spreti non puluere tecti iacebant, tectum illis præbuit & domicilium cælum. Atque quibus tumulus est denegatus, futurus parabatur insignis & gloriosus. Vani & stolidi hunc non crediderunt, nec excogitarunt, cernebant autem illum abiectissimum. Rursus autem tyrannorum sublimia & regia euanuêre sepulchra, & impiæ eorum exuuiæ dissipatæ,& conculcatæ ignorantur, quo conduntur in loco. Cineres furiosus dispersit aquilo. Concinnè admodùm & aptissimè B. Ioannes Chrysostostomus [a]. *Nam eorum loca, & sepulchra,simul & tempora perenni memoriâ celebrari sunt curata. Tu verò mihi ostendas sepulchrum Alexandri? Et profer diem, quo vitam finiuit? Nil horum insigne, omnia destructa sunt, & exterminata. Quot reges vrbes euerterunt? Portus extruxerunt,& nominibus inscriptis decesserunt? Nec tamen eis quidquam profuit, sed silentio, & obliuioni mandata sunt.* CHRISTI *verò seruorum sepulchra clara sunt. Illorum quidem loculos proprij nesciunt, horum autem sciunt & barbari. Seruorum Crucifixi sepulchra regiis aulis sunt clariora non magnitudine, & ædificiorum pulchritudine,sed & quod multo magis est, conuenientium studio. Nam & ipse, qui purpurà indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant.Itaque quòd regias quidem aulas videat nemo vnquam peregrinatus est, multi verò Reges huius spectaculi gratiâ peregrinati sunt.* Memoria perijt eorum cum sonitu, qui sacrilegis dediti

a homil. 66.

& ad

& addicti superstitionibus diuinam religionem verissimámq; fidem abolere,& delere curarunt. Atqui suo litarunt sanguine Domino,& seruire eius sacris studuere æternis perennant monimentis & monumentis.

3 Insaniebant impij etiam cùm pace Christiani iam fruerentur, vt ipsis insultarent, vt quondam vrgentibus persecutionibus, quòd eorum commilitones lancinati, & prostrati insepulti iacerent. Rex Psaltes, vti beatissimus explicat Augustinus, de his verissimè est vaticinatus [a]. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat, qui sepeliret. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.* Beatissimus Carthusiæ Pater Bruno [b]. *Posuerunt morticina, quæ crudeliter interfecerunt, non solummodò crudeliter eos occiderunt: sed quod crudelius est, eos occisos in corpore volatilibus, & bestiis ad comedendum posuerunt. Non dicit volatilibus cæli, & bestiis terræ, ad differentiam, sed cum addit, cæli, & terræ, notat eorum intentionem sæuissimam. Scilicet, quòd ad hoc eis morticina exponebant, non solummodò, vt inde reficerentur, sed vt ea frustratim perderent, & per terram dispergerent, ne à Christianis colligerentur. Et nullum respectum damni, aut misericordiæ in eorum morte reputauerunt.* Nequissimis nequissima in Christianos mens fuit. Nec hoc tantùm, sed ipsis exprobrabant, illudentes subsannabant, & irridebant; quòd corpora occisorum contumeliosè insepulta omnibus ludibrio essent. Quodque cunctis insita sepulturæ suorum cura esset, illi soli negligerentur eáque esset denegata.

a August. in Psal.

b B Bruno.

4 Insolentiùs Christiani nominis hostes B. Augustini tempore fidelibus insultabant, quòd ipsi suorum cadauera non tumularent. Respondit his idem B. Doctor [c]. *At enim*, inquit, *in tanta strage cadauerum, nec sepeliri potuerunt. Neque istud pia fides reformidat, tenens præditum, nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit,* &c. *Multa itaque corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam à cælo, & terra separauit, quam totam implet præsentia sui, qui nouit, vnde resuscitet, quod creauit. Dicitur quidem in Psalmo [d]. Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cæli,* &c. *Sed magis ad exaggerandam crudelitatem eorum, qui ista fecerunt, non ad eorum infelicitatem. Atqui infelicitas eorum erat, à quibus non redditur terræ corpus, & ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur.*

c Lib. 1. de ciuit. Dei cap. 12.

d Psal. 78.

Cicero 2. de legibus.

CAP.

CAPVT XVIII.

Gentium cadauera nulla inhumata, & cauſſa.

1 MAgno obſtrepentium tumultu, & petulanti murmure vbique pios impij infeſtabant. Rursúſque riſu, ploſione, & acclamatione plaudebant, funerum ius ſibi, non autem illis licere. Duabus præſertim ex cauſis Ethnicis maxima ſepulchrorum cura. Prima pietatis, altera erroris. Illa, de qua Seruius, vt non ſolùm ignominiam vitarent, & fugerent, quam propriam æſtimabant: ſed etiam, vt dilectionis affectum in eos, qui deuixerant, oſtenderent, ſimúlque à luctu ceſſarent; M. Varro[a]. *Et quòd terra ſit humus, ideò humatus mortuus, qui terrâ ſit obrutus ab eo, qui Romæ non combuſtus eſt: aut in ſepulchrum eius abiecta gleba non eſt: aut ſi os exceptum eſt mortui ad familiam expurgandam, donec in purgando, humo non eſt opertus, vt Pontifices dicunt, quoad inhumatus ſit, familia funeſta manet, & dicitur humilior.* Idem Varro[b] explicat luctum, *Propinquæ, adoleſcentulæ etiam ambracinis, proximæ amiculo nigello, capillo demiſſo ſequerentur luctum, vt dum ſupra terram eſſet, vicinis lugerent: funere pullis palliis amictæ!* Ante diem octauum nemo ſepeliebatur, teſte Seruio, & his diebus erat ſuper terram, & omnis familia in luctu.

a Lib. 4. de lõg. Latin.

b Lib. 3. de vit. pop. Rom. in Nonnio.

2 Pietatis maior cauſſa, præcipuè ſi cadauera feris proiecta, & abiecta conculcata iacerent. Crudeliſſimum hoc ab omnibus eſt iudicatum. Atque omni ſtudio illa, etiam auro redimere, atque ab huiuſmodi ignominia vendicare contendebant[c]. *Quia qui de pietate ſcripſerunt primum locum in ſepultura poſuerunt.* Quæ etiam in ſacris eſt literis commendata. Laudauit Dauid viros Iabees Galaad, quòd hac fuerint miſericordiâ vſi cum Rege ſuo Saul, ac eius ſpelierint corpus. Laudata eſt & Reſpha Saul concubina, quòd filios ſuos à Gabaonitis ſuſpenſos, ciliciũ ſibi ſubſternens ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos, neque per diem, neque per noctem dimiſerit lacerari ab auibus, & beſtiis[d]. Tobiæ iuſti ſepeliendi ſtudium, & operam Archangelus Raphael vehementer à Domino probatam aſſeuerauit. Improbata impietas eorum, qui ab hac diſſentirent pietate & humanitate, qua barbari crudeliſsimè ſunt vſi.

c Seruius ſuprà.

d 2. Reg. 21.

3 Altera erroris cauſſa Platoni imputatur. Atqui in eo prior Homerus fuit, niſi fortè ab alio accepit. Is namque Patrodum Achilli dicentem inducit.

e Iliad. 23.

Sepeli me quàm citiſſimè, portas Plutonis vt intrem,
Longè me abigunt animæ, vmbræ defunctorum,
Neque me aliquo modo miſceri aliis trans flumen ſinunt.

Idem

Idem de Elpenore [a]. a Odyss. 11.

Prima autem anima Elpenoris venit socij,
Nondum sepultus erat sub terra latas vias habente,
Cadauer enim in ædibus Circes reliqueramus nobis
Inde fletum, indefossum.

Elpenor obtestatur Vlyssem.

——— Precor te, recordare mei,
Ne me indefletum, insepultum discedens post relinquas
Seiunctus, ne qua tibi deorum indignatio fiam;
Sed me combure cum armis, quæcumque mihi restant.

Minatur superûm indignationem se futurum si omiserit. Euripides [b], b In Troad.

O chare, ô marite,
Tu quidem mortuus erras
Insepultus, indefletus.

Virgilius centum vmbras annos errare ad Platonicæ sententiæ respiciens verba, non mentem, finxit. Dixerat hic. *Quoscumque aliis iniurias intulisse constaret, pœnas singulatim prò quolibet decies reddidisse, spatia annorum centum, quasi vitæ humanæ hæc sit meta, vt animæ decuplam darent iniuriæ pœnam.*

Virgilius aliter vertit [c]. c Æneid. lib. 6.

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumatáque turba est.
Portitor ille Charon, hi, quos vehit vnda sepulti:
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quàm sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitántque hæc littora circum,
Tum demum admissi stagna exoptata reuisunt.

Postea de Palinuro.

Vnde hæc, Palinure tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnémque seuerum
Eumenidum adspicies? ripámve iniussus obibis?

Lucanus. d Lib. 1.

———Vmbráque errat Crassus in vltâ.

Hanc Erebi Statuis statuit legem.

Laius extincti nati, quem vulnere nondum
Vlterior Lethes accepit ripa profundi
Lege Erebi.

De his improbus Lucianus in Palinuro, & Diogenes Laërtius in Pythagora.

4 Tertullianus vtramque caussam adsignat Homero, *Creditum* inquit [d], *est, insepultos non ante ad Inferos redigi, quàm iusta perceperint, secundùm Homericum, Patroclum funus in somnis de Achille flagitantem, quòd non alias adire portas* d De anima cap. 56.

Inferûm posset, arcentibus eum longè animabus sepultorum. Nouimus autem præter, poëtica iura, pietatis quoque Homericæ industriam. Tantò magis enim curam sepulturæ collocauit, quantò etiam moram eius iniuriosam animabus incusauit, simul & nequis defunctum domi detinens, ipse ampliùs cum illo maceretur enormitate solatij dolore nutriti. Ita querelas animæ insepultæ ad vtrumque confinxit, vt instantia funeris & honor corporum seruetur, & mœror affectuum temperetur. Deinde improbat, & arguit errorem.

a Tom. 4. li. de cura pro morb.

5 Beatus etiam Augustinus [a], *Neque enim*, inquit, *credendum est, sicut apud Maronem legitur, insepultos à nauigando, atque transeundo Inferni amne prohiberi, quia scilicet.*

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare priùs, quàm sedibus ossa quierunt.

Quis cor Christianũ inclinet his poëticis fabulosissimísque figmẽtis? Atqui vnde hæc tam dira cupido infernas penetrare cauernas? Optimè Tertullianus. *Multo*, inquit, *vanius, si iniuria deputabitur animæ cessatio sepulturæ, quam pro gratia deberet amplecti. Vtique enim tardius ad inferos abstrahi mallet, quæ nec mori voluit.* Declarauit Seruius. *Centum autem annos, ideò dicit, quia hi sunt legitimi vitæ humanæ, quibus completis, potest anima transire ripas, id est ad locum purgationis venire, vt redeat rursus in corpora.* Iuxta falsum Pythagoricum dogma.

6 Pietatis specie, & metu erroneo seducti tunc mortales. Ideóque nulla suorum cadauera insepulta sinebant. Auro, precibus, aliisque artibus redempta humabant. Funeris mercedem, & sepulturæ pretium nefas discertauit Cicero, & Verri exprobrauit. Vitellij cadauer magni emptum.

b Li. 9. c. 5.

Non minoris vænale C. Gracchi, de quo Valerius, qui auaritiam infamem reprehendit. *Auaritia*, inquit, *ante omnes Septimuleij præcordia possedit. Qui cum C. Gracchi familiaris fuisset, caput eius abscindere, & per vrbem pilo fixum ferre sustinuit, quia Opimius Consul auro in se repensatum edixerat. Sunt, qui tradunt, liquato plumbo eum cauatam partem capitis, quò ponderosius esset, explesse.*

c De Socratis genio.

7 Omnibus gentibus ea impensior cura [b]. Quanta autem fuerit Plutarchus prodit agens de Theanore Crotoniata. Qui ex Italia in Græciam nauigarat, vt Lysidi seni Philosopho parentaret ad sepulchrum, attulerátque magnam auri vim, vt corporis illius reliquias secum in Italiam ad sportaret. Nullis igitur laboribus, & sumptibus parsit antiquitas, vt vita functis iusta solueret, & tumulos curaret.

8 Cum Lacedæmonij *semper in bello à Tegeatibus superarentur, missis Delphos consultoribus, oraculum sciscitati quemnam Deorum placarent, vt Tegeatum victores existerent. His Pythia respondit, id fore, si ossa Orestis filij Agamemnonis referrent. Cuius vrnam cum nequirent inuenire, rursus ad Deum mittunt de loco sciscitatum, in quo situs Orestes esset.* Ex Pythiæ responso Liches coniectauit in fabri

ferrarij

ferrarij Tegertis corte conditum. A quo audierat. *In hac corte puteum facere quum vellem incidi in loculum septem cubitorum, & quia incredulus eram omninò fuisse maiores, quàm nunc sunt homines, aperui eum, & inueni cadauer æquali cum loculo magnitudine, quam vbi mensus sum iterum obrui.* Liches itaque corte conducta à fabro vendere nolente [a], *effosso sepulchro ossa collegit, ea portans Spartam rediit.* Hæc Herodotus, addítque, *Quo ex tempore Lacedæmonij quoties cum Tegertibus congressi sunt superiores extitêre.*

a Lib. 1.

9 Quærit Plinius nepos, an vera phasmata, siue phantasmata apparitione, & spectra visa sint. Ac vera, & certa propositis asseuerat & confirmat exemplis [b]. Primarium & præcipuum est de Athenodoro Philosopho, qui Stoicæ disciplinæ alumnus Augusti Athenis floruit æuo, cúmque Magni Areopagitæ Dionysij doctorem ferunt. Is venit Athenas. Vbi domus capax, & spetiosa sed pestilens, & infamis. Per noctis silentium sonus ferri & strepitus vinculorum. Mox apparebat idolon, senex macie, & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebàtque, Inhabitantes diu noctúque terrebat, morbúsque sequebatur, & crescente formidine mors. Nam & si abscessisset imago oculis imaginis inhærebat memoria, ingentísque caussa timoris timor erat. Deserta domus & solitudine damnata monstro relicta proscribebatur. Venit Philosophus, legit titulum, pretij vilitas suspectam fecit. Percunctatus omnia docetur. Nihilominus, immò tanto magis conducit. Vespere in prima domus parte stylo & pugillaribus prolatis, & lumine accenso animum ad scribendum intendit. Non ferri sono, nec vinculorum strepitu mouetur: videt, agnoscítque tandem narratam sibi effigiem. Stabat innuebátque digito similis vocanti; E contra ille vt expectaret manu significauit. Illa verò scribentis capiti catenas insonabat. Tollit tunc lumen Philosophus & sequitur. Ibat illa & vbi ad domus aream deflexit repentè dilapsa deserit comitem, desertus herbas & folia concerpta loco ponit. Postero die adit magistratus, monet, vt illum locum effodi iubeant. Inueniuntur ossa inserta catenis, & implicata quæ corpus æuo, terráque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis. Collecta publicè sepeliuntur. Domus postea, ritè conditis manibus, caruit. His similibúsque moti ethnici exemplis, quæ plurima sunt, & prætereo, ritè suos omni studio curabant humatos. Atque & pietate vel errore moti nullos sepulchri honore carere maximè contendebant.

b Lib. 7. epist. 27.

CAPVT XIX.

Sanctorum Martyrum à Tyrannis corpora ſolùm tumulari prohibita.

1 HVmanæ fragilitatis vitio, & culpâ factum, vt correpti mortales mentitæ religionis imagine, falsáque decepti, veram deſpicatui, ac odio haberent. Atque hoc ineſcati, & exagitati errore ipſa naturæ iura violarunt. Cùm iuſtiſſimos, & piiſſimos, non vitæ tantùm, ſed etiam materni ſinus vſura priuare non vererentur. Ludibrio, & infamiæ cadauera exponerent. Tarquinius Priſcus primus Romæ hoc ſæuitiæ commentum inuenit. De eo Plinius [a]. *Paſſim conſcita morte Quiritibus tædium fugientibus, nouum & inexcogitatum antea, & poſtea remedium inuenit ille Rex: vt omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora ſpectanda ciuibus, ſimul & feris, volucribúſque laceranda. Quamobrem pudor Romani nominis proprius, qui ſæpè res perditas ſeruauit, in præliis, tunc quoque ſubuenit, ſed illo tempore impoſuit tunc erubeſcens, cum puderet viuos, tanquam puditurum eſſet extinctos.* Perhorruêre ſanè viui ne ſimile ſpectaculum tetrum, & acerbum extincti præberent. Pudor inhibuit non ipſa mors, ipſâ crudelius & infamius hoc ab omnibus exiſtimatum.

[a] Lib. 36. cap. 15.

2 Efferatam Annibalis ſæuitiam, nunquam ſanguine ſaturatam exaggerat Valerius. Sicuti etiam extollit in tumulandis Æmilio Paulo, Tiberio Graccho, & Marco Marcello humanitatem Deinde ait. *Humanitatis dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia penetrat: Teruos trucéſque hoſtium mollit oculos, ac victoriâ inſolentiſſimos ſpiritus flectit. Nec illi difficile, & arduum eſt inter arma contraria, inter diſtrictos cominus mucrones placidum iter reperire. Vincit iram, proſternit odiũ, hoſtilémque ſanguinem hoſtilibus lachrymis miſcet.*

3 Aduerſus Chriſtianos nulla humanitatis via, imperuia omnis. Ipſi inſepulti, inhumati, beſtiis, feris, alitibúſque lancinandi, & vorandi proiecti. Ethnicis nullum infoſſum cadauer, ſiue pietate, ſiue errore ſuaſis. Nec damnati cuiuſquam Legibus poſt Auguſti æuum punitos ſepeliri conceſſum. Iidem ipſi crudeliſſimi Imperatores Diocletianus, & Maximianus reſcripſere. Neque hoc ipſo reſcripto Chriſtianis fauere voluerunt. Immò exhumari tumulatos ſententiâ in contrarium latâ decreuere.

4 In eadem perſecutione iiſdem vrgentibus Imperatoribus Vrgauone martyres paſſi plures. Hique in foſſam caſtri præcipati: nulli alij cum illis, vel etiam quacumque ex cauſſa puniti. Quicumque illi fuerint extra pomærium oppidi in agro in propriis, ſiue publicis ſarcophagis condebantur. In omnibus vrbibus, & oppidis vſtrinæ erant, & oſſuaria publica, & priuata

& priuata; in quibus pro cuiusque gentis more, & ritu cadauera sepeliebantur. Eorum, quæ cremabantur, cineres vrnis excepti cum ossibus; si vlla reliqua lecta, & in conditoriis seruata, non dispersa, titulis additis & inscriptionibus pro voluntate hæredum, & amicorum.

5 In Arabica clade, & calamitate non minor cura Mahumeticis Tyrannis, quàm aliis Paganis, vt sanctorum Martyrum corpora minimè à Christianis tumularentur. Malignus idem spiritus, nequam humani generis hostis nefarios, trucésque instigabat carnifices. Beatissimus Martyr Eulogius de Martyribus Cordubensibus, [a] *Cæterùm*, inquit, *eorumdem Sanctorum corpora, qui primo conflictu occisi sunt, equuleis versis vestigijs affigentes gentiles post sextum diem, inopinato scelere crudelitatis, cuncta iam putredine resoluta, atrocibus incendijs deputarunt. Quin etiam ne virtutum emolumenta præstarent Christicolis deformes cineres, quos legere è camino quiuerant, minacis aluei vltimo conduntur abysso.* Paríque modo reliquos Martyres in Bætin vrbi proximum piscibus pabulum proiectos tradit. Idémque ipse B. Eulogius martyrio coronatus in amnis ripam est præcipitatus ex arce. Ad quem statim candidissima se dimisit columba. Nec lapidum iactu, nec manibus Arabes abigere poterant. Eóque ipso teste reliqui, qui tunc coronati sunt, Martyres, vel in flumen, vel in ignem sunt missi. Magno labore, nec minori pretio nonnulli sunt empti, vel furtim sublati, multi nusquam inuenti, etiam magna diligentia quæsiti.

a Lib. 2. Memor.

6 Maroquij etiam in Africa, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo Beati Francisci discipuli quinque passi sunt. *Corpora autem eorum*, vt in eorum traditur actis, *iussu regis, extra palatium proiecta à Sarracenis, ligatis pedibus extra vrbem varijs ludibrijs circa mœnia tracta, tandem ponitus in partes conscissa in campo relicta sunt, vt bestijs essent in cibum. Christiani verò nocte sequenti ad colligendas sacras reliquias exeuntes, à Sarracenis sunt repulsi. Sequenti verò die, ne reliquiæ venerarentur à Christianis vt sanctæ, Rex igni comburendas decreuit. Sed igne copioso accenso, cùm in eum Sanctorum corpora iactarentur, hinc inde flamma declinans, intactas reliquit. Immò (quod dictu mirabile) cùm vnum de capitibus in ignem pluries proiectum esset, Diuina faciente virtute, de igne semper resiliens, nec in capillis est læsum.* Non alio existimo modo, quæ supersunt Sanctorum Vrgavonensium Martyrum seruatæ reliquiæ, vt nullæ essent reliquæ, omnis cura à carnificibus adhibita, & solers diligentia.

7 Quid in Christianos non sunt moliti Pagani, vt eos à religione deterrerent, & abstraherent? [b] Impius Belial Iulianus Martyrum sepulchris ignem admouit. Sanctorum corpora per contemptum, & ignominiam cum vilissimis bestiarum exuuiis permixta flammis absumi, & cineres in aërem spargi iussit, honore cupiens, qui illis debitus, priuare. Quid inuida profecit malignitas? Impensior illis est tributus. Quia à Domino,

b S. Greg. Nazian. in orat. 4. aduers. Iulianum.

qui illa procurabat non abstulit potentiam, & secreuit sancta à profanis: atque piæ reuelauit fæminæ, quæ collegit, & custodiuit vsque ad præfinitum tempus [a]. Narrant historiam beatus Gregorius, Sozomenus, Nicephorus, & Nicetas.

a S.Greg. orat.4. Nicetus in ea Sozom.li.5 c.8. Nicep. lib.10. c. 8.

8 In eadem Diocletiani persecutione Beatissimum Zoylum crudelis Cordubæ carnifex est insectatus. Diris consumptum cruciatibus cum decem & nouem aliis necauit. Corpora diuisit, & segregata proiici iussit. Beatum Zoylum inter peregrinos abiectissimè deiecit, & simul cum illis puluis iniectus magis, quàm honestè tumulatus [b]. At Dominus Catholico regnante Sisebuto Cordubensi antistiti Agapio reuelauit. Qui cum Clero, & populo locum adiit, & rastro sacrum ipse effodit corpus. Sociorum nomina, & loculi adhuc ignorantur. Faxit Deus, vt aliquando manifestentur, ipse vt piissimus, & clementissimus rerum omnium moderator quàm plurima seruorum suorum abscondi permisit corpora, vt opportunè promeret, ad maiorem suam gloriam, & suorum honorem, profectúmque nostrum.

b Agapius inter fuit Conc. Toletano tertio. Et in secundo Hispalensi eius memoria ann. DC. XIX.

9 Non simul, sed progressu temporum monstrante, & reuelante Domino Sancti Martyres sunt reperti. Vti Stephanus, & Gamaliel, qui sordido, & obscuro latebant in loco, Cyprianus præsul & Martyr [c]. Geruasius & Protasius sub ignobili conditi cespite Sancto Ambrosio indicati. Eidémque sacra Vitalis, & Agricolæ pignora inter Iudaicæ perfidiæ putida sepulchralia inuenienda reuelauit Dominus. Eóque vario modo multa millia Martyrum reperta. Et in nostra Hispania superiori sæculo Octodecim simul Martyrum Cordubæ corpora. Ac in monte Sancto Illipulitano ad Granatam Beatissimi Episcopi Cæcilij & aliorum in ipsis formacibus inuenti cineres. Hoc autem sæculo, Vrgauonenses, indicante, & monstrante Domino reperti. Qui per tot ignoti sæcula latuerunt Non hæc humani sed Diuini iudicij dispensatio, cuius ad placitum citiùs aut tardiùs disponitur.

c S. Greg. in orat. in laudem Cypr.

Anno Domini M D. L X X V.

Anno D. M.D. XCV.

10 Non socordia, non ignauia non metu, non terroris torpore perculsi prisci illi Christiani à procurandis Sanctis Martyrum pignoribus abstracti, & alienati sunt. Sunt tyrannica crudelitate, & solerti studio impediti potiùs, quominus consequerentur, quod auidissimè auebant, & cupidissimè exoptabant [d] *Quid infirmior defuncto*, Ambrosius ait, *de quo dicit Scriptura, super mortuum tuum plora?* &c. *Nil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi iam non possit reddere, Vindicare à volatilibus, vendicare à bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, homines denegabunt?* Minimè sanè. Nisi belluæ truces, & atroces, quales carnifices illi, qui dirissimè arcebant pios ab hoc pietatis officio. Præclarè B. Augustinus [e]. *Quanto minus debent de corporibus ethnici insepultis insultare Christianis.*

d In lib. de Thobia c.1. Iob. 3.

e Lib. 1. de ciuit. Dei, c.12. & 13.

stianis. Ac per hoc quando ista cadaueribus Christianorum in illa magnæ vrbis, vel etiam aliorum oppidorum vastatione defuerunt: nec viuorum culpa est, qui non potuerunt ista præbere, nec pœna mortuorum, qui non possunt ista sentire.

11 Implacabile iniquissimi aduersus Christianum nomen magis magisque indies rabie stimulante conceperant odium. Omnium quippe exosi consortiũ & cõmercium post ipsam necem magnoperè vitare contenderunt. Hæc & alia, quæ dixi, si iustus trutinet æstimator, comperiet ex eorum procliui æstuante petulentia fœdissimè in vniuersos fuisse grassatos. Quoniam autem Vrgavonensium Martyrum cineres in profluentem mitti, & dissipari nequibant, cum nullus ibi sit amnis; tutissimus est electus locus, à quo nemo illos auferre valeret. Inter vallum & mœnia in fossam Sanctos præcipitatos, & combustos, & omnium sordium purgamentis coopertos latêre, & putrescere sæui carnifices omni solertia curarunt.

12 Atqui exigui interposita temporis mora; nihil fixum nec permanens, festinato quasi senio omnia mutantur. Serie quippe perpensa ætatum ipsæ rerum vices volutantur: & oculos nostros, & memoriam fugiunt. Præcipiti cursu res humanas vicissitudo agitat, & versat. Beati Martyres Geruasius & Protasius, post ducentos circiter annos adeò ignoti, vt de his B. Ambrosius ait. *Diu ante ignorati: Nunc senes repetunt audiisse se aliquando horum martyrum nomina, titulúmque legisse. Perdiderat ciuitas suos Martyres.* Minore tempore nondum octoginta annor. Sanctorum Martyrum Vitalis, & Agricolæ memoriam inobscurauit obliuio. De his idem Ambrosius. *Diocletiani, & Maximiani temporibus, duo viri Vitalis nempe, & Agricola pro* CHRISTO *in ciuitate Bonnoniæ martyrium passi sunt, quorum corpora, ne à fidelibus reperirentur, inter Iudæorum sepulchra condita fuerunt.* CHRISTVM *igitur confitentes, & pro eius gloria morientes, inter eos, qui eum negauerunt, indecorè sepulti sunt, locum autem, qui omnes latebat,* CRISTVS D.N. *mihi reuelare dignatus est. Vbi ieiuniis, & orationibus plures habentes excubias, inuenimus tandem pignora Martyrum, pro vt mihi Dominus reuelauerat. Tanquam inter spinas rosas legentes, & omnibus palàm manifestata sunt.*

CAPVT XX.

Sanctorum Martyrum BONOSI ET MAXIMIANI *notitia, celebratáque festiuitas.*

1 QVæ obruta delitescebant abscondita, minimè humanâ poterant operâ vestigari, nedum reperiri. Diuinâ opus erat, & fauentium Martyrum fauentiâ. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia* Psal. 112.

milia respicit? Quid humilius, & abiectius mortalium oculis sordium inquinatissimo spectaculo? sensus omnis, & maximè obtutus ab eo abhorret. Non tamen Dominus despexerat sed benignissimè respiciebat. *Magnum autem Dominus*, B. inquit Augustinus, *testimonium perhibet de testibus suis, cum ille, qui rexit corda certantium, nec corpora deserit mortuorum. Verè pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius, quando nec terra carnis, vitâ deserente, contemnitur, & inuisibili animâ de domo visibili discedente, habitaculum serui custoditur: & in gloriam Domini à conseruis fidelibus honoratur. Quid enim agit Deus mira opera faciendo circa Sanctorum corpora defunctorum, nisi testimonium perhibet, sibi non perire, quod moritur? Et vt hinc intelligatur in quali honore secum habeat animas occisorum, quando caro exanimis tanto affectu Diuinitatis coronatur.*

Tom. 10. Serm. 9.

2 Bonarum artium sterilitatem Gothorum primùm, Arabum deinde fœda inuexit proluuies: Ac quasi vetus à maligno fugientis temporis cardine Flauij Dextri historiæ, & aliorum tenebras offudit. Sed illa præcipuè vndis concussa, & quassata naufragium fecit. Emerserunt ex eo reliquiæ adeò deformatæ, vt non ab omnibus probentur. A viris doctis magni æstimatæ veluti fugaces nec communes; sed manu scriptæ. Typis vulgatæ à viro religioso ex Franciscana Familia Francisco Calderon, operarum incuriâ & caracteris deformitate minimè pulchræ. Pulcherrimæ tamen fuerunt desiderantibus, qui ex ipsis nouerunt multa scitu dignissima prorsus omnibus ignota.

3 Notauit vir doctus Vniuersitatis Biacensis Theologiæ primarius antecessor Franciscus Hauez Herrera Vrgauone passos Beatos Martyres BONOSVM, & MAXIMIANVM. Atque vicinos Vrgauonenses, certiores facit, & hortatur, vt tantos noscant, colántque ciues, & patronos. Idque congruum, & debitum, vt qui in Martyrum catalogo Romano descripti sint die vigesima prima Augusti. Hoc Municipes læti nũtios ex Clero, & Decurionum ordine binos mittunt, qui rem omnem ad Illustrissimum Cardinalem antistitem Giennensem deferant. Qui maturè in eius concilio quæstione discussa decreuit: De his Sanctis, vt qui naturales eius fuerint oppidi, posse, & debere festũ celebrari, iuxta formam in Romano Breuiario præscriptam. Simúlque diem assignat vigesimamprimam Augusti anni vertentis vigesimi octaui labentis huius sæculi decimi septimi.

4 Hoc hilares omnes, suaui quasi imbuti rore, optatissimum excipiunt decretum. Apparatus ad solemnitatem pro votis minor, pro temporis, rerúmque angustiis maior fit. Magno ciuium, & conuenarum, qui nouitatis auidi conuenere, concursu, festi dies ludis etiam publicis lætissimè celebrantur.

5 Qui autem in ignorationis cæci erant tenebris, & hyemis algoribus frigidi, se nouam cernere lucem, & veris amœnitatem adspirare præsagiebant.

giebant. In vulgus voces incertæ iactari cœpere;ad castri mænia Sanctorum corpora condita. Mira ad illa accidisse referuntur, non tamen incerta, sed certissima. Grauidam fœminam partui proximam, ex turri, quæ nunc Sanctorum compellatur, lapsam, illæsam mansisse. Non sine miraculo (opinio tunc fuit) id contigisse, & propter altitudinem, & grauitatem.

6 Ex eadem etiam turri puelli, qui biennium non exegerat, narratur prolapsio. In lapides præceps casus, caput creditum obtritum, & defunctus æstimatus.Sed repertus viuus, sanus & lusui intentus.

7 Aliquando concubia nocte visæ formæ, quæ Sacerdotes referebant, sub vmbella sanctissimam EVCHARISTIAM faculis accensis deferentes,dicuntur:omniúmque parochorum constitit assertione ea nocte hoc ab illis nec ab aliis gestum.

8 A viatoribus olim in castrimaniis lumina conspecta fuisse, qui commemorarent, erant. Huiusmodi vulgus promebat. Nec somnia existimabat, cum Septembris vigesima secunda die, post primam celebratam festiuitatem, viri probi, probatæque fidei testarentur,ad Sanctorum turris angulum *varios* à se conspectos fulgores. Erant & Sacerdotes, qui assererent igneos vidisse globos, ardentésque faculas, & luces. Nonnulli his moti rumoribus retardari non poterant,quominus rastris vestigarent, quæ cupiebant inuenire.Labore, & spe frustrati à foraneo Vicario vlteriùs progredi sunt prohibiti.

9 Is autem vocato Clero proposuit adeò arduum non contemnendum, nec humanis tantùm tractandum viribus, propitiato auspicari oportere nomine: ac Ordinarij accedente auctoritate, in eo primùm loco,quo lumina conspecta, Crucis salutiferæ trophæum erigi. Deinde omnes populum hortentur,vt se sancta expiẽt ex homologesi, & diuina participent: Ieiuniis, eleemosynis, aliísque piis excubent exercitationibus, simúlque Dominum supplices deprecentur, vt ad maiorem sui nominis gloriam, Sanctorum honorem, & fidelium profectum ciues & Patronos dignetur manifestare. Quod autem ad se attinet, vti Dei ministros, & Sacerdotes maiori diligentia eadem procurent. Atque Sanctissimæ Virginis Deiparæ MARIAE diebus nouem solemni ritu & omni religione festiuitatum sacrificia, vt moris in Hispania est, celebrent, Vltimo demum die totius Cleri,Confraternitatum & populi fiat supplicatio. Ab omnibus eius probatur sententia, & etiam ab Ordinario. Indicta omnia populo,& apparantur.

10 Moniti omnes animantur, & studiosè piéque certant religiosis operibus,vt à Domino consequantur, abstrusas ostendi sibi pretiosas margaritas. Sacrosanctis adstant nouemdialibus,miróque affectu & effectu ani-

mos purgant,& Diuino reficiuntur PANE,atque aliis operibus &precibus piissimum placare,& propitiari contendunt Dominum.

11 Sacrosanctis peractis solennitatibus hilares omnes ad indictam accedunt supplicationis pompam.Luminũ continuata vrgebat animos visio; Pridie enim eius diei honestis, lectissimísque matronis cum ancillis tertia circiter noctis hora oblatum phasma. Prospicientibus illis ex proximis ædibus in Sanctuarium, quatuor visi velut viri in candicanti podere, singulis in pectore splendida lucerna, quæ fulgentis tunc lunæ vincebat fulgorem. Prioris illorum facula illustrior: Simúlque viam, quæ ad primarium ducit templum, cum tertiò iniissent,discessêre. Iterum eandem remensi viam eo ordine quo antè euanuêre.

12 His quasi confirmati visis summa alacritate Supplicationem frequentes peragunt: magno circuitu oppidum lustrant, cantu supplici vociferationis hostiam immolant, Sanctósque inuocant omnes. In reditu ad castri ostium, ad ipsum triumphalis Crucis signum humili geniculatione feruido cordis affectu deprecationes ad Dominum ingeminant, Sanctósque Martyres BONOSVM,& MAXIMIANVM conclamant, & aduocant patronos, & se exaudiri exorant. Ac quasi iam exauditi in templum maius, à quo egressi regrediuntur, indéque læti domuitionem accelerant.

CAPVT XXI.

Martyres luces.

1 CHRISTVS Dominus noster Sol iustitiæ,*Ego sum*, inquit,*lux mũdi.* Conspicua hæc lux inter res materiales eminet sublimior, eáque nulla alia qualitas nobilior, nec illustrior. In rerum conditu, & temporis ordine obtinuit primatum, vniuersa peruadit, & subit sine sui diminutione. Efficacissima est, pluréſque habet proprietates, quibus Diuinitatis notio quodammodò sese nobis insinuat [a]. Præclarè Nazianzenus *Cum Deus*, inquit, *ex visibilibus, & inuisibilibus rebus constantem mundum hunc inquam magnum, admirabilem maiestatis suæ præconem fingere, ac construere voluisset, æternis quidem nullum aliud lumen, quàm se ipsum præbuit:(Quid enim secundo lumine opus iis erat, qui maximum habebant?) Inferioribus autem, atque humanis primùm huius luminis vim protulit: conueniebat quippe magno lumini opificium suum à lumine auspicari: quo tenebras, vastámque illam congeriem, & confusionem omnia occupantem soluit, ac depulit.* Itaque principatum lux tenuit. Nec alia magis re, quàm luculentissima luce gloriam suam, [b] in transfiguratione Dominus noster IESVS CHRISTVS declarare voluit [c]: Ioannes,*Deus*, inquit,

a Orat. 43. G.L.698.

b Matt.17.2

c Io.ca.1.5.

quit, *lux est illuminans omnem hominem.* Essentialiter scilicet, Angelicus Doctor concinnè admodum. [a] *Res, quæ actus quidem sunt, sed non purus, lucent tantùm non etiam lux sunt. Diuina autem essentia, cum actus purus sit,* LVX *est.* [b] *Vnde de hominum Sanctissimo, dictum tamen non erat ille lux. De Dei autem* VERBO *erat lux vera omnem hominem illuminans.* Filius namque Sapientia æterna [c] *Candor est lucis æternæ.* Addit Augustinus, [d] *Quid aliud est, quàm lux lucis æternæ.* Sic in Nicæno profitemur Symbolo. *Lumen de lumine Deum verum de Deo vero.*

a In 1. ad Timot. c. 6.
b Ioan. 1. 8.
c Sapien. 7. 26.
d 4. de Trin. cap. 20.

2 De hoc lumine idem Nazianzenus [e]. *Ac quidem* DEVS *Summum & inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi; nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminans: hoc in intelligibilibus, quod Sol in sensibilibus: eo se magis contemplandum præbens, quò accuratius animos purgauerimus, eò rursus magis amandum, quò magis contemplati fuerimus,* &c. *Secundum lumen est Angelus, primi illius luminis, velut riuulus quidam, aut participatio per propensionem ad illud, ac ministerium illuminationem habens. Tertium lumen homo est, quod externis etiam perspicuum, & manifestum est.* [f] ΦΩΣ, *id est lumen hominem vocat, propter rationis nobis insitæ vim, & facultatem. Quo etiam nomine, ij inter nos appellantur, qui* DEO *similiores sunt, propiúsque ad* DEVM *accedunt.*

e Orat. 40.
f A Græcis lux, & lumen eodẽ nomine dicuntur.

3 Qui propiùs ad Deum accedunt, nisi qui illum sequuntur? Ipse Dominus. [g] *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Qui magis assectæ, quàm Martyres, [h] *qui ipsum sequuntur Agnum quocunque ierit? Hi namque sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Idaò sunt ante thronum* DEI. Idem B. Gregorius de Machabæorum Martyrio. [i] *Hoc denique de victimis illis, qui postea pro* CHRISTO *cæsæ sunt, nequaquam minorem laudem, gloriámque promerentur. Illi enim* CRISTI *sanguinem sequebantur.* Et alibi. [k] *Si nos ad hunc modum conueniamus, ac festa Martyrum celebramus, magnum quidem fuerit affirmare, nos eadem præmia, & eiusdem gloriæ hæreditatem percepturos,* &c. *At certè illud nobis continget, vt Sanctorum Martyrum splendorem cernamus.* De hoc splendore CHRISTVS Dominus noster. [l] *Tunc fulgebunt iusti, sicut Sol in regno* PATRIS *eorum.* Subdit Theophylactus. *Quoniam Sol videtur nobis stellis omnibus fulgentior, propterea comparant Soli iustorum claritatem. Non, vt super Solem fulgeant, absit, quia Sol iustitiæ* CHRISTVS, *tunc iusti fulgebunt, vt* CHRISTVS. Qui suis dixit discipulis *Vos estis Lux mundi:* &, *sic luceat lux vestra coram hominibus.*

g Ioan. 8. 12.
h Apocalyp. 14. 4. & 5. 7. 14.
i Orat. 22.
k Orat. 6.
l Matth. c. 13. 43.

9 In obscurissima Martyres trudebantur antra. Subterranei erant carceres situ & squalore fœdi, & putidi. Prudentius de Beato Vincentio.

m Perisp. hym. 5.

Lugubre in antrum truditur,
Nec Liber vsus luminis
Animaret altum spiritum.

Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Æterna nox illic latet
Hîc carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.

At Sancti in tenebrosis his fulgebant ergastulis, hísque Angeli aderant. [a] Act. 12.7. Petro carcerato Angelus adstitit, *& lumen refulsit in habitaculo. Lux enim in tenebris lucet.* Eleganti antithesi vsus Tertullianus de Martyribus, & carcere [b] *Quò vos, benedicti, de carcere custodiarum, si fortè translatos existimatis; Habet tenebras, sed lumen estis ipsi; Triste illic spirat, sed odor estis vos suauitatis; Iudex expectatur de iudicibus, sed vos de iudicibus estis iudicaturi*, &c.

[b] Ad Martyr cap. 2.

10 Martyres igitur rutilantes sunt fulgores in caliginosis, tetrísque custodiis. Idem Prudentius,

Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat.

Oris aurei aurea gnome [c]: *O quàm speciosa, & grata ciuitas nobis enituit, & totius anni diebus splendidior dies hodierna præfulget, non de vsitatis solis radiis illuminata præclariùs, sed de lumine Martyrum, supra coruscum omne fulgur, micante illustrata sublimiùs. Multis enim solibus illustriores sunt Martyres, & magnis luminaribus clariores.*

[c] Io. Chrysost. in homil. 7. Machabæor.

CAPVT XXII.

Lucibus Sanctorum corpora Dominus, quibus in locis lateant solitus indicare.

1 QVi iustos suos rutilãtes facit luces, his coruscantibus signis illos manifestare consueuit: Eos enim CHRISTI Domini nostri diuinitas illustrat. Ipsius gratia fulgentes sunt lampades, de cælestis aulæ in æternitates micantes stellæ. Atque albentes has margaritas in sordida, obscuráque absconditas fossa miris indicauit luminibus. Qualis, ac quanti apud eum meriti sint prodigiosis, frequentibus declarauit ignibus, sicut & plurima etiam alia Sanctorum pignora.

2 Hanc verissimam sententiam Magnus Gregorius confirmat, de sanctissimo Hermenigildo [d]. *Quidam etiã ferunt, quod illic nocturno tempore accensæ, lampades apparebant: Vnde & factum est quatenus corpus illius, vt videlicet Martyris,* IVRE A CVNCTIS FIDELIBVS VENERARI DEBVISSET.

[d] Lib. 1. dialog. cap. 31.

3 [e] In Sancti Leodegarij Episcopi, & Martyris caput splẽdidissimum lumen missum.

[e] Suarius octob.

Strabus

4 [a] Strabus de Sancto Gallo Abbate; Eius Ecclesiam de cælo descendente luce perfusam custodes milites conspexêre. *a* Surius Octob.

5 [b] Metaphrastes de Sanctis quadraginta Martyribus. *Episcopo Petro Martyres apparuerunt, quo in loco reliquiæ seruarentur, dixêre. Adhibitis Episcopus Clericis viris religiosis, ad fluminis ripam accessi. Et ecce reliquiæ Sanctorum in aqua tanquam stellæ fulgebant, & locus, vbi residebant ab ipso lumine indicabatur.* *b* Martij.

6 [c] Domicilium, in quo S. Eduardi Regis corpus erat immensa collustratum est luce. Cúmque in paludem fuisset proiectum columna ignea cælitus demissa super illud apparuit, & suis radiis omnia circumquáque illustrauit. *c* Martij.

7 De Sancto Episcopo & Martyre Basilio Metaphrastes visionem Elpidiphori refert, in quo idem Martyr domum pellucentem, in qua esset, ostendit.

8 [d] Idem Metaphrastes de Sanctis Menna, & sociis. Episcopus & Clerus cum versus mare intenderent oculos, repentè vident lucem tanquam columnam è cælo vsque ad mare peruadentem, & in quadam cymba quodammodò fundatam, &c. in ea erat ferrea capsa in qua Sanctorum Martyrum clausæ reliquiæ. *d* Mens Decemb.

9 [e] Sanctus Eligius S. Quintini Martyris corpus vestigabat, ac magno studio arrepto rastro in imæ fossæ cauerna effodit tumulum, atque sarculo rupit: confestimque tanta odoris fragrantia cum immenso lumine ex eo prorupit, vt ipse Sanctus antistes luminis fulgore, & odore vix potuerit subsistere. *e* Sur. Decemb. lib. 2. cap. 6.

10 *Nam & globus splendoris, qui tumulo ad ictum ferientis processit, tantam vim sparsit claritatis suæ, vt cunctorum adstantium obtutibus oculorum retusis maximam illius regionis partem in diei claritatem mutaret. Erat autem nox obscura, & caliginosa valde.*

11 Nauis, quâ Sancti quinque Martyres Franciscani in Hispaniam vehebantur lumine delapso, cum omni classe, à sæua procella, certissimóque naufragio euasit.

12 [f] Sancti Anastasij Martyris corpus stella, quæ iucundum clarúmque emittebat splendorem demonstrauit. *f* Ianuar.

13 [g] Non dissimile de Sancta Eusebia hospita refert Metaphrastes, quam de nostris Martyribus constat conspectum, vt aptissimè illis conueniat, quod de ipsa dixit Simeo. *Deus autem desuper ostendere cuiusmodi lux celebatur in occasu huius vitæ volens maximo signo eam honorat post mortem, &c. Cum in meridie aër esset serenus, & Sol resplenderet clarissimè, è cælo apparet veluti quædam corona, quæ stellis circulum circumscribebat, in medio autem coronæ cernitur Crux, quæ ipsa quoque erat stellis lucidis figurata.* *g* Ianuar.

14 Cum B. Episcopi Germani corpus esset transferendum, super eam

Ecclesiæ partem, in qua erat, immensus claritatis splendor apparuit, Ecclesiáque supposito quasi igni cremari visa est.

15 *Cùm Sanctorum Martyrum* Taracci, Probi, & Andronici *corpora cum aliis permixta essent, & ignorarentur propter tenebras, stella lucidissima è cælo terram*
a 12.Octob *illustrans, & stans super vnumquodq; corpus præbuit lucem ad illa cognoscenda. Illam fortè stellam imitans, quæ in* CHRISTI D. N. *orta secundùm carnem Magos ex Perside euocauit, & deduxit.*

16 Beatissimus Præcursor Ioannes Baptista caput suum Isaacio mona-
b 29.Aug. cho præcepit vt quæreret.[b] *Et me inuenies*, inquit, *habens stellam tuæ viæ ducem.* Surrexerit ille, & statim vidit proximè stellam, quæ iter ineuntem præcedebat, donec stetit super concham speluncæ, vbi defossum fuerat idem caput.

c Li. 1.c.14. 17 Oculatus Euagrius testis B. Simeonis Stylitæ templum descripsit, atque se adiisse testatur, inque eo ait[c], *Vidi stellam inusitata magnitudine discurrentem per totam rimam, iubárque effundentem: neque id quidem semel, bísve, aut ter sed sæpius, eandemque crebro euanescentem, & ex improuiso apparentem denuò quæ solùm in istius Sanctissimi viri die festo cernitur.*

d Beda hist Angl. lib. 3.45.11. 18 [d] B. Osvvaldi inuentum corpus, cùm sub vesperum, ad monasterium, in quo nunc conditum est, peruenisset, excipere frarres noluerunt: quia de alia esset prouincia. Ipsa nocte reliquiæ sub tabernaculo manserunt, sed cœlestis miraculi ostensione, quàm reuerenter eas suscipere debuissent, monstratum est. Ipsa enim tota nocte columna lucida ab ipsis ad cælum vsque posrecta omnibus penè eiusdem prouinciæ locis conspicua stetit. Monachi manè magna diligentia petiêre, & obtinuerant, quod pridiè abnuerant.

e Idē Beda. 19 [e] Heueuvaldi duo Albus, & Niger Martyrio coronati *& in Rhenum proiecti, contra fluminis impetum decurrentes* per millia quadraginta lucis permagno fulgenti radio tota nocte inuenti, indéque extracti digno sunt conditi tumulo.

f Lib.1.c.6. 21 [f] Cæsarius de quodam Canonico Leodiensi, qui à Beatissimo Bernardo monachus Cisterciensis fuerat factus. Qui cùm moreretur clara, lucidáque stella super locum migrationis eius apparuit, vt in vniuersa ferè prouincia videretur.

g 5.Octob. 21 De Sanctæ Ermelendis refertur sepulchro, quòd vir quidam dum iter ageret longius, *ab eo progredi nequiuit: mediæ autem noctis hora apparuit tumulus Virginis Solis claritate lucidior, audiuitque Angelos psallentes. Apparente autem luce diei disparuit visio cælestis, sed odor nimiæ suauitatis permansit.* Iterùm eadem visio ipsi concessa est.

22 Prætereo alia sciens exempla. Ex Hispania satis illustria sunt plurima, profero hæc. Lucas Tudensis Episcopus. *In Hispania*, inquit, *hora Natiuitatis*

tiuitatis Domini circa noctis medium, quædam nubes adeò splenduit, vt meridiani caloris feruorem daret terris. Retulit, & Alfonsus rex cognomento Sapiens [a]. Stella Magis, Nubes lucida Hispanis Domini nostri IESV CRISTI ortus index. Eodem etiam tempore tres in Hispania Soles visos Sanctus tradit Thomas [b]. Ex Flauio forsan Dextro, qui retulit, accepit.

a Lib. 1. ca. 107. histor. general.

b 3. p. quæst. 36. art. 1.

23 Beatissimi Apostoli singularis, vniciique Patroni, ac tutelaris nostri IACOBI, splendidissimum stellæ iubar tumulum inter dumeta abscondi-tum irradians quasi indice indicauit. Clarissimum & hoc est stemma Sanctæ Apostolicæ Metropolitanæ. Ecclesiæ Compostellanæ. Marmoreus scilicet tumulus syderis fulgore illustratus, Vrbsque ipsa ab stella nuncupata quasi Campus-stella, luxato nomine Compostella.

24 Non vno sed pluribus voluit Dominus sui Apostoli corpus collucentibus stellis demonstratum. Earum viam, quæ à Frisio exorsa mari in Galæciæ partem desinebat, in qua latebat is thesaurus, sæpiùs Magnus conspexit Carolus. Pérque singulas cura intueretur noctes; quid visio portenderet, cogitabat. Hæc secum expendenti in ectasi apparuit visio, quæ virum vltra humanum referebat pulcherrimum [c]. Qui se CHRISTI D. N. Apostolum esse dixit, IACOBVM Zebedæi filium, Ioannis fratrem ab Herode occisum, & in Gallæcia corpus suum obscuro iacere in loco. Sed & Compostellana tradunt vetusta monimenta. *In quibus hæc scripta sunt. Quidam námque personati, & magnæ auctoritatis viri præfato Episcopo Theodomiro retulerunt, luminaria in nemore, quod super Beati* IACOBI *tumbam diuturna vetustate excreuerit, nocturno tempore ardentia multoties vidisse, ibique Angelos sibi frequentiùs apparuisse. Quo audito ipsemet ad eum locum, vbi illi se talia vidisse, asserebant accessit, & luminaria in prædicto loco ardentia propriis oculis proculdubiò adspexit.* Referuntur eadem in antiquis Regum priuilegiis.

c Vincent. histor. specul. li. 24. c. 6. 5. Anton. par. 2. tit. 1. cap. 4. §. 4. Dom Maurus Castella Ferrer. lib. 3. cap. 1.

25 Sanctos eiusdem Apostoli discipulos Cæcilium, Tesiphontem, & Hiscium, & alios eorum discipulos in Illipulitano sancto Monte sæpiùs conspectæ fulgentes luces indicarunt: sicut & Indaletium flamma quærentibus monachis.

26 Inter sacri montis Serrati rupes greges, qui pascebant, opiliones frequenter animaduerterunt singulis post meridiem Sabbatis in earumdem rupium vnam lumen è cælo labi, simul cum iucundissimo musices concentu, Manresæ oppidi parocho ostentum retulêre. Hic & Episcopo. Ambo visionis veritatem conspexêre. Indicta Clerici, & populi supplicatione, eáque frequenti, insolito quodam fragranti eos ductante odore ad rupem deuenêre. Erat in ea antrum in quo Beatissimæ Virginis Deigenitricis MARIÆ imago est reperta. Quam cuncti læti venerati summo cum honore Manresam deferebant. Cum eò loci ventum, vbi hodie celeberrimum est cænobium, imaginem nec vi nec arte, aut industria

mouere

mouere potuerunt, sed fixa mansit, Beatissimæ Virgini ibi Episcopus ædem vouit, & constructam dedicauit. Amplissimum postea cœnobium est ædificatum. Sacrarium verò in quo sancta illa imago summa cum veneratione, & populorum religione, & frequentia seruabatur, exiguum erat: vidi, quod plurimi facio. Sed magnificentissimum alterum iam constructum erat, in quod ingenti pompa adstante Philippo Tertio Catholico piissimóque Rege prisca illa translata est imago.

26 His sanè fulgoribus, & lucibus Dominus promit, & exprimit quibus digni encomiis testes sui sint, & quasi nobis imitandos repræsentat. Aduertit prudenter Franciscus Pegna in vita Sancti Didaci Complutensis [a]. *Ad multam*, inquit, *noctem splendor quidam super Didaci exanime, & defunctum corpus illuxit, qui solis radios sua luce superare, ac totum chorum, vbi ille repositus fuerat, illustrare videretur. Multi præterea ciues Conchenses, & de Medina Cœli eadem nocte, qua Sanctus Didacus beatam egit animam, stellam reliquis maiorem, ac illustriorem apparuisse affirmarunt: quæ planè omnium oculos ad se inspiciendam ac contuendam conuertebat, vt rei nouitate commoti frequentes domo egredi cogerentur. Hærebat enim, an aliquid boni, malíve portenderet. Cùm multi affirmarent huiusmodi stellas, signum mortui alicuius viri Sãcti præferre, de quo creditum erat, eius animam in Sanctorum numerum in cælo receptam fuisse. Solet enim clementissimus Deus Sanctorum suorum pietatem, & sanctitatem, qui tanquam fulgentes faces, & lucentia sydera Ecclesiæ præluxerunt, cælestibus quoque fulgoribus indicare, vt omnium persuasione credatur in cælesti patria claros, atque conspicuos esse. Ita quidem supra domum famulæ Dei Aldegundis ingens fulgor emicuit, quo tempore Sancta illius anima, quæ veram lucem* CHRISTVM *Dominum adamauit, carne soluta est, vt vnà cum luce in cælum reciperetur. Beatam quoque Sancti Pauli Eremitæ animam inter Angelorum, Prophetarum, & Apostolorum choros niueo candore fulgentem à Sancto Antonio visam testatur Hieronymus.* Hæc ille.

[a] Lib. 2. c. 2.

CAPVT XXIII.

Splendidæ indicant locum luces, in quo Sancti laterent Martyres.

1 LInguæ officium, & fructus sermo, luminis splendor. Qui luces non verbis sed fulgoribus sermonis vice lucere cœpere. Ipsa nocte, quæ solennem supplicationis diem secuta est, quartadecima Octobris, anni millesimi sexcentesimi octaui & vigesimi, tertia fermè hora post occasum gloriosi Martyres fulgentia velut astra matutina se omni populo manifestarunt. Clarissimáque, quasi iam se adesse accensis facibus dedere signa. Ac si clamarent. *Non vestra, conciues nostri, irrita vota.*

Nec,

Nec, quæ de nobis notitia, ſpéſque vana, ſed omnia certiſſima, & preces à Deo optimo, maximo ſunt veſtræ exauditæ. Priſca illa, quæ de nobis tradita vera ſunt, attendite, attentéque quærite.

2 In Sanctorum turri à frequenti plebe in mercatu ſtante viſi quaſi tres radiante nitore clari luciferi. Mox à presbyteris à muro conſpecta exurgere ſplendens flamma quæ mœnia illuſtrauit. Modico deinde interuallo, alia per murum excurrere proſpecta eſt lux, quæ in ea turri aliquantulum manſit, & rediit in eum, quo exierat, locum. Aſtra illa ibi latere innuebat Dominus, ciuéſque euocabat, vt theſaurum effoderent abditum ex indigno, ignobilique loco.

3 Felicibus his principiis, paribúſque auſpiciis maximã, certiſſimámque in ſpem adducti ſunt municipes. Ac eximios ſe collecturos fructus pollicentur. Atque hiſce conſpectis ignibus inflammantur. Maiori ſtudio, & cura morum mutationem, & virtutum amplexantur exercitationes. Interea ſeſe illis noui, & inuſitati fulgores oſtentant. Singulis diebus media circiter nocte plures clamoribus affirmabant, prænitentes ab eis cerni luces. Spectatæ virtutis virgo panis & aquæ ieiunio, ac exhomologeſi, & Diuina ſe muniuit EVCHARISTIA vt luminum adfulgentium frueretur conſpectu. Exoptabat ipſa intueri, quæ aliis, non ſibi, conceſſerat Dominus. Abnuere eius noluit votis clementiſſimus Deus, atque ex Sanctorum turris angulo ſplendentem luciferum exſurgere notauit: Huicque extincto maior, & illuſtrior alter ſucceſſit. In muro etiam contiguo tres conſpexit ardentes faculas æquali diſtinctas interuallo. Deinde alia ex parte prioribus ſplendidius viſum ſidus, viginti minoribus coronatum ſtellis, quibus, quaſi nouus æther exornatus eſt murus. *Ac quemadmodum*, B. inquit Chryſoſtomus, *cœli non emiſſa voce Dei gloriam enarrant, ſed dum aſpectus ſui ſplendore ſpectatorem in admirationem conditoris traducunt. Ita nimirum Martyres Dei gloriam enarrant, cùm cœli ipſi ſint, multo iſtis lucidiores, quos videmus. Non ita cælos aſtrorum chori ſplendidos reddunt, vt Martyrum corpora ſplendidiora vulnerum ſanguis reddidit. Atque vt Martyrum vulnera cælo infixis aſtris ſplendidiora eſſe diſcatis, aduertite.* Hac non ſolùm viſione Dominus conſolari virginem non eſt dedignatus; ſed indicare voluit, his aſtris Sanctos ſignificari Martyres. Ex eodem enim loco vidit viginti humanam ſpeciem referentes candidatos proceſſiſſe. Qui demiſſis capitibus, & decuſſatis ante pectora brachiis ſingillatim vſque ad turris faſtigium ſunt progreſſi, mihique euanuêre. Vltimò illi tria coruſcantia obiecta lumina, quorum tertium circuitu ducto pluribus relictis aſteriſcis conſumptum eſt.

a Homil. 47. G. L. in S. Iulian. pag. 627.

4 Ex Seraphica religioſus familia, ſimul & ciuis Vrgauonenſis hora fermè noctis tertia ad Sanctorum turris angulum quinque viderunt pro-

dire viros albis amictos stolis. Qui in manibus accensas habentes faculas singuli processere ad alteram turris partem, in qua erecta Crux. Inde reuersi, & sæpius retrogressi in angulo euanuere. Mox ibidem lux apparuit decem plus minus à terra eleuata sursum deorsúmque vagata inter adstantium pedes disparuit.

5 Ea ipsa nocte quidam ad turrim stabat, in qua ascensus ad horologium. Visáque illi forma, quinque alta pedes albenti amicimine. Obstupuit, comáque inhorruit. At vt nosset quis esset, cucurrit Sanctum inclamitans, & cum manibus iam assequeretur in tenues abiit auras. Restitit lætus, quòd vidisset, quem Sanctum existimabat, verùm & tristis, quod illum tenere nequisset. Plures illius cursum aduerterunt, & ab eo vocibus auocarunt. Ipse nec audiuit, nec pallium & pileum excidisse sensit. Ciuis & alius illum est secutus, vt excursus nosset caussam, nil prorsus videns. Atqui cùm ad turrim peruenit eandem, oblata illi species quasi quinquennis puelli, viginti circiter pedes ab eo dissita. Atque appropinquaret violenter est impulsus, vbi autem proximus retentus, immotus constitit. Supernâ vtrumque virtute factum. Et huius pueri postea corpus ibidem repertum.

6 Ex his, quæ Sanctuarium spectant, mœnibus frequentes irradiabant fulgores, nullus erat, qui non cerneret, maximè sextis feriis frequentiores, & inspectores. Mense igitur Septembri desinente Viri nobiles duo cum aliis secunda ante auroram hora ad turrim cataractæ videre instar igniti carbonis splendentis lucem & efferri & demitti. Locum gladij consignarunt mucrone in eo inuenta fornax est.

7 Luminum, & fulgorum rumor in ore sermonéque percrebuit omnium. Is etiam ad illustrissimi tunc absentis Cardinalis concilium defertur. In eóque de rei grauitate & magnitudine actum. Nec tamen aliquid tentandum, sed præuia disquisitione, quam commiti placuit aduocato fiscali; Quod si ex cognitione, & vestigatione res posceret, alteri ex ipso concilio commendaretur.

CAPVT XXIV.

Nonnulla Martyrum reperiuntur ossa.

1 CHRISTVS Dominus Noster Martyrũ caput, & munificentissimus remunerator est. Suæ quippe mortis nobilissima configuratio Martyrium. Ac quemadmodum fulgurantibus Angelis gloriosum voluit suum collucere sepulchrum, & illustrari: Sic & luminosis coruscationibus locum indicari indignum, in quo Martyres conditi Vrgauonenses,

nenses, & sepulchralis honor, quo carebant, ipsis exhiberetur clarissimus.
[a] *Cum ergo*, Petri Damiani sunt verba, *Sanctorum corpora tantæ futuræ sint dignitatis, vt & coronam vitæ perpetuæ, & immortalitatis stolam cum suis animabus sint communiter receptura: Quid mirum, si nunc omnipotens Deus apta illis loca prouideat, & eorum tumulos non passim, vel per casum fieri, sed ex suæ voluntatis electione disponat.* [a] In serm. de S. Ruffi.

2 Martyrum præclara Dominus suscipit merita, & pro meritis suo illos septos vult lumine. At horum qualia, quantáque apud eum sint mirificis significat, & declarat splendentibus, facibus, & fulgetris. De Sanctis Euvvaldis canit Ecclesiasticus ordo[b]. *Et ad quorum corpora noctu multa lux diu apparens, & vbi essent, cuius essent meriti declarauit.* [b] In Marty. 3 Octobris.

5 Non vna, sed innumeris luminum coruscationibus Vrgauonenses indicabantur Martyres. Cælesti præconio dignitatis suæ summum gradum Dominus declarauit. Plurimis aërem signis clarescere fecit. Humanas illuminauit mentes, vt quid hisce portenderet, intelligerent. Ac si hortaretur: *Quærite, & inuenietis*; Eximium in imo thesaurum clusum. Presbyteri primi, quasi præmoniti se operi accingunt, gnauitérque aggrediuntur. Nec desunt pij, qui iuuent. Ad Sanctorum turrim, inter aggerem, & mœnia ea eruderatur fossæ pars. Effossione decem non profundiore pedes, in vniones, & gemmas deuenitur. Caput nimirum cum ossibus repertum, & oppressum grãdi saxo, quod ignis præ se ferebat vim. Modico interuallo fornax aperitur candidis referta cineribus. Inter eos humani corpóris diuisæ compages, & nonnulla vstulatæ. Brachia in Crucis conformata similitudinem Carnifex decussarat, manicis vinxerat ferreis. Iuxta illæ, aliáque compedum, scorpionum, vngularum, vinculorum, & cruciamentorum ferrea instrumenta: Omnia temporis diuturnitate, vdus deformarat, & consumpserat locus, non tamen sacra illa leipsana. Ex eorum positione ea inspicientium omnium fuit persuasio; Hunc, aliósque Martyres, qui postea sunt reperti, post sæuissimos cruciatus, capitibus in turribus ad plebis prospectum abscissis ferro onustos inde præcipitatos, lapidibúsque obrutos, in fornaces demum iniectos.
De Sanctissimo Babyla Martyre B. Ioannes Chrysostomus[c]. *Morti propinquum cum se videret corpus suum vnà cum ferreis illis catenis sepeliendum mandauit. Planum faciens, quæ ignominiosa videntur, ea quoties propter* CHRISTVM *fiunt honorifica esse ac splendida, eumque, qui ea patitur non solùm non dissimulare, sed inde sibi placere oportere.* [c] In l. contra Gentil.

4 An Sancti petierint idipsum Martyres nostri, non liquet. Liquet tamen, quanta fuerit efferata persecutoris rabies, vt simul cum ipsis ferrea cuncta, quæ eos oppresserant, adeò sit detestatus, vt vnà cum illis proiici iusserit. Quod si Martyres postulassent, non fecisset, ne illis grati, & gra-

tiæ quicquam annueret. Fecit tamen quod illis gratissimum, & iucundissimum fuit. Ac CHRISTI D.N.Crucem brachiis in eius formam prolatis amplexati sunt.

5 Horâ post meridiem tertiâ cum fornax effoderetur, qui longè distantes prospiciebant, operarios flammis circumseptos, iísque cõburi videntes credebant. Atqui illi nihil prorsus sentiebant, nec intuebantur. En rubus ardet, & non vritur. Pueris etiam in camino ignis nil mali illatum. Ambiebat flamma fossores, sed non lædebat. Ignita fornax flammas vomere visa, sed Domini potestatem, & Martyrum ostendebat dignitatem. Atqui quasi lenis aura laborantes afflaret, & laboris recrearet & mitigaret lassitudinem.

6 His, aliísque mirificis signis Dominus suscitauit ab ignobili, abiectissimóque loco corpora illa. Erexítque de stercore pauperes, qui populi sui erant principes. Latentésque artus in sublime per manus Sacerdotum leuantur, & in templi primarij propinqui Secretarium deferuntur & sub trinæ clauis custodia deponuntur.

7 Magnus populorum fit concursus tum vt Sanctos venerarentur, tum etiam vt ex cineribus, & illorum exuuiis effossionis rudera scrutantes aliquid expiscari possent, quo se ditissimos futuros existimabant.

CAPVT XXV.

Continuatæ luces ab innumeris conspiciuntur, & alia reperta sunt corpora.

1 FElici omnes læti hac inuentione nihil iam sibi reliqui fore opinabantur. Dominus verò iteratis confirmabat inuentionem signis, & ad nouam excitabat. In reperta fornace à parocho, qui tunc Episcopi vicarium agebat, conspectus lucidus candor, atque ex eo fulgetrum subitaneum in altum exurgere. Dubitauit is, & alij, qui cum eo erant, an vera illa lux esset. Omnes pariter genu flexi Dominum sunt precati, vt sibi aperire dignaretur Sanctorum intercessione, verè ne essent pignora reperta Martyrum, luminâque ante visa in signum, ab ipso oblata. Cogitationibus quippe variis exagitati discernere nequibant, an verus ille esset candor, & fulgor. Idem mox splendor cum luce clarior emicuit, & altiùs est sublatus. Eius intuitu Parochus exterritus, faucibus vox hæsit, nec cum vellet, valuit sacerdotem vocare verbo sed nutu. Tertiò tunc lux illa sese exerere visa est rutilantibus radiis fulgentior, & oculorum obturbauit obtutum, & effugit animus, & consternatus in

terram

terram eſt collapſus. Vt autem ſe collegit, ſtupens eâ cucurrit celeritate, vt ex vallo deciderit, ſine tamen aliqua corporis læſione. Atque tunc agnouit, quanta loci illius eſſet ſanctitas, & qua in eum accedendum religione: Ac omnes calceos exuere debere, vt dignam Domino exhibeant reuerentiam, cùm ipſi defertur, quæ eius Martyribus.

2 Micantes magis, ac magis incrementa ſumunt ſplendores. Eorum continuatio, & multiplicatio, vrbium Vicinarum, & totius Bæticæ, & aliarum prouinciarum peruaſit fines. Plures religione, alij rei nouitate, & curioſitate moti Vrgauonem conueniunt; Omnes certè diuino acti impulſu, concurrunt ex clero, & omnium religionum familiis. Laici etiam vtriúſque ſexus, omníſque ætatis, & conditionis. Aduentantium magnus numerus, vt non facilè iniri poſſet. Erat iuxta deuotionis affectum viſionis effectus: Variæ nam illis, Diuinâ ſic diſponente, & diſpenſante clementiâ, luminum forma, & ſpecies obiectæ. Aliis ignei globi, & prunarum ardentium lances. Aliis luciferi candicantia etiam ſidera, & irradiantia aſtra. Aliis crinitæ, cincinnatæque velut ſtellæ, tum etiam ignes, flammæque vagantes, & excurrentes ſurſum deorſum, & in omne latus videbantur. Intra tamen ipſius Sanctuarij ambitum, vel in aëre, vel in mœniis, turribus, & fornacibus. Nimij ſanè, ſuperuacaneíq; eſſet laboris, ſi quæ ſinguli depoſuerunt teſtes ſcriberentur. Nec omnes ad teſtimonium admiſſi, ſed qui præſtantis eſſent auctoritatis, probatæ fidei viri. Ad examen cæteri non ſunt producti, vt qui milleni, & milleni eſſent. Confluxit enim ad cœleſtium luminum ſpectaculum innumera propemodum multitudo, nullíque negatum. Sed quid ſingulis conceſſum nec notum, nec ſi notum facilè dictu, cùm adhuc etiam fulgores conſpiciantur; Sed minus frequentes, nec ab vniuerſis cernuntur.

3 Ingentium rerum exordia non facilè veniunt in deliberationem, maximè ſi ſubitanea inſperatáque ſint. In ancipiti variis diſtracta ſententiis controuerſia verſabatur. Vrgavone ex Flauij auctoritate multi aſſerebant, alij fortiter abnuebant: Alias alij excitabant difficultates. Nec lucibus, quas videbant, ſatis fidebant, ſed fidem alij abrogabant phyſicis tribuebant cauſſis. Multis Vrgauonenſes vigilantes ſomniare videbantur: ac ex apprehenſione vehementiſſima viſiones illas prouenire probare conabantur. Sed incaſſum cùm res euidentior eſſet, quàm de ea nemo ſanæ mentis ambigere iure poſſet.

4 Cùm autem lis, vt in paræmia, adhuc ſub iudice eſſet, clariores eam dirimere luces videbantur. Ac plura quærenda eſſe corpora veluti affirmabant. Reuerſus Giennium Fiſcalis probationes ad Cardinalis cõſilium detulit. Quibus viſis, réque maturè conſiderata, & diſcuſſa decretum in eo eſt, & mittendum viſitationis iudicem cum ampla facultate, & po-

testate, vt probationes resumeret,& si qua alia essent corpora quæreret, locum temporario, fornaceóque pariete clauderet. Septum custodiri curaret,nequa fraus, vel superstitio obreperet. Omnia pro sua prudentia ageret; Sacríque Concilij Tridentini constitutiones,ac vltimam Sanctissimi Domini Nostri VRBANI Octaui obseruari omni studio contenderet. Cunctorúmque relatio ad Cardinalem scribitur, qui & acta probauit, maiorique solertia & cura cætera peragi iussit.

5 Vndecima igitur Nouembris eiusdem anni Visitator cum Vicario Foraneo,& Clero, Magistratu,Decurionibúsque iuuãtibus in Sanctorum turris angulo exteriori,qui horologij turrim respicit, effossa, eruderatáque est terra, ad septem p. m. pedes. Ac magnâ omnium lætitiâ inuentum cranium vnum cum dentibus etiam molaribus. Fractus tamen vnus, sicut & caluariæ pars, iuxtáque multi lapides,quibus cum è turri Martyr est præcipitatus, appetitus, & obtritus fuit. Erant & nonnulla ossa costarum, tibiarum, & cubitorum dirupta, & vstulata. Simúlque erant candidissimi cineres,in quos ignis redegerat, quæ deerant ossa cum carne.

6 Sequenti die eodem in loco fossura est continuata. Inuentæ petræ semi-ustæ vnà cum fauillis, & carbonibus. Sub iis autem grande saxum vix hominibus sex mobile. Terra fumo, igníque nigricanti similis. Sicut & testacea fragmina: vnáque cum iis cineres, & carbones, & humana ossa. Erántque ibidem lapides, quibus obruti Sancti Martyres, & postea ignibus traditi. Quorum nonnulla supererant ossa vstulata,alia verò candidissima. Ac inter cineres, & carbones humúmque humectam instar alabastri post tot sæcula. Erant autem tibiæ,costæ,aliæque duorum corporum partes, verùm absque capitibus, quæ forsan abscissa in altissimam sunt proiecta foueam, postea quæsita & inuenta; nisi magis mauis rogo cum pluribus aliis ossibus fuerunt consumpta.

7 Vlteriùs progressi latomi & fossores inuenêre corporis magnam partem, vnáque cum ea vngulas,scorpiones, aliáque tormentorum ferrea instrumenta, tempore, & loci vligine deformata. Quibus visis piæ contuentium lachrymæ non contineri potuerunt.

8 Vniuersa hæc pignora magna sunt cum veneratione collecta, & in Secretarium delata, cum aliis sub eadem custodia sunt collocata. Erant autem maiori ex parte creta illita,nihilominus suauissimus vincebat odor vliginis squalorísque putorem.

9 Hæc Nouembri desinente sunt acta. Non tamen cuncta peracta, luminum splendores, atque alia esse perueſtiganda indices erant.

10 Sexta Decembris Vrgavonem profectus eáque die, & duabus sequentibus Sacra illa inuisi pignora, eorúmque admiratus fragrantiam,sum veneratus. Sanctuarium, fornaces, aliáque Sanctorum Martyrum cruciamento

mentorum monimenta perluſtrari; Simul & antiquas municipij inſcriptiones, ſummáque eorum omnium inſpectione ſum affectus oblectatione. Prodigioſa illa non vidi lumina, at mihi ſatis eorum conſpexiſſe cauſſas. Sed nec eorum intuitu Dei benignitate non ſum fraudatus. Sed eorum, quæ vidi, notaui, & concepi magna meus religatus religione eſt animus.

CAPVT XXVI.

Ex Sanctorum cineribus, & exuuiis luces emicant & ſplendores.

1 SAnctorum rediuiua corpora, inſignia, & præclara quædam induent ornamenta, quibus multò nobiliùs cohoneſtabuntur, quàm vnquam prius fuerant. Præcipua, & potiora ſunt, quæ dotes dicuntur. Ex his vna claritas, quâ beati ſplendeſcent. De ea Dominus: *Fulgebunt iuſti, ſicut Sol in regno Patris eorum.* Et ſuæ transfigurationis declarauit exemplo. Hunc autem fulgorem, ante vniuerſalem reſurrectionem aliquorum amicorum ſuorum exuuiis communicatum aliquoties vult. Inuentio quippe Martyrum quaſi quædam ſuſcitatio eſt è tenebris ad lucem. *Non immeritò*, inquit Ambroſius, *plerique hanc Martyrum reſurrectionem appellant.* Quid ergo miremur ſi rediuiuis reddita debita claritas? Ex colloquio, Deíque præſentia Moſis colluxit facies. Viuenti adhuc tanta illi collata eſt gratia. Eſt & iuſtis etiam vita functis. Exclamat Chryſoſtomus. *Non attendas cinerem Sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum carnis, omniáque oſſa conſumpta temporibus: ſed aperi oculos fidei, & vide eos Diuina virtute, & gratiâ Spiritus ſancti amictos, & Diuini luminis claritate radiantes. Non tales de ſuperno ſolis circulo in terram radij iaciuntur, quales à corporibus eorum proſiliunt coruſca luce fulgores. Pretioſa enim ſunt corpora Martyrum, quoniam plagas pro ſuo Domino ſuſceperunt, & quia ſtigmata propter* CHRISTVM D. N. *membris ſuis impreſſa ferunt. Et ſicut corona regalis vndique decorata fulgores varios emittit: Ita & Sanctorum Martyrum corpora ſicut pretioſis lapidibus, acceptis pro* CHRISTO *vulneribus diſtincta omni regum diademate pretioſiora, & ſpectabiliora redduntur.* a Homil. de ſept. Macchab.

2 Hi ſanè ſplendores internis fidei cernuntur oculis, non autem externis. Nunc verò illuxerunt eorum coruſcationes orbi terræ, vidit & commota eſt terra. Quodque rarò de aliis ſcriptum Sanctis magnam facit mirabilitatem, frequentiſſimè nunc in noſtris conſpicimus. B. Paulinus eò, quò Chryſoſtomus reſpexiſſe videtur, dum de Sancto canit Felice; b Natali. 6.

Probat, & ſine corpore viuum,
CHRISTVS, *vt oſtendat maiorem in morte piorum,*

Virtutem

Virtutem, quàm vim in vita superesse malorum.
Ecce vides tumulum sacra Martyris ossa tegentem,
In spem non vacuam rediuiuæ condita vitæ,&c.
In Sancto Diuinitus insita membris
Gratia non potuit cum carne morique, tegique
Illicò, sed positis ex ossibus ecce micat lux,
Quæ medicis opibus meriti dare signa potentis
Hactenus ex illo non nunquam tempore parcit,
Et toto, quo mundus erit, fulgebit in æuo.
Lux eadem Sancti cineris per sæcula custos:
Martyris hæc functi vitam probat, & bona CHRISTI
Ad tumulum Felicis agens diffundit in omnes
Felicis latè terras mirabile nomen.
Cum gratia tanta sepultos
Ambiat, & quanto rediuiua decore micabunt
Corpora, in obscuris cum sit lux tanta fauillis.

Concinnè admodum, & ad propositionem percommodè.

3 Impius Boleslaus Sanctissimum Stanislaum hostiam immaculatam ad altare offerentem victimam mactauit, sua eo manu obtruncato [a]. *Corpus membratim concisum, & per agros proiectum aquilæ à feris mirabiliter defendunt. Mox Canonici Cracouienses sparsa membra nocturni de cælo splendoris indicio colligunt, & suis locis aptè disponunt, quæ subitò ita inter se copulata sunt, vt nulla vulnerum vestigia extarent.*

[a] In lect. eius festi.

4 Notgerus de Sancti Episcopi Remacli miraculis [b]. *Tum verò immensum lumen igneæ columnæ effigio videmus descendere in loculum sacra ossa retinentem, &c. Vigilabat tunc illic frater quidam, isque ante gallorum cantum vidit è cælo lucem descendere, quæ per fenestras templi penetrans feretro, quo sacrum corpus vehebatur, incubuit, simúlque tenebras dispulit, feretrum commouit, & campanas cælesti vi impulsas signum edere fecit.*

[b] Lib. 2. c. 1. in Surio mense Septemb. ca. 2.

5 De Sancto Lãberto Episcopo & Martyre [c]. *Leo alij vbi Sanctus Episcopus occisus est, in cubiculo illo, vbi sanguinem fudit, sæpius visa sunt luminaria diuinitus accensa, ita vt tota domus tanto compleretur splendore vt vix oculi in eum possent intendere.* Similia referuntur de S. Proiecto Episcopo & Martyre [d].

[c] Surius in Appẽdice. mense Sept

[d] Mense Ianuar.

6 Theodoricus Abbas de Sancto Tradone [e]. *Lux*, inquit, *illa cœlestis, quæ sine vllo sui detrimento sola lucet in tenebris, super eum incanduit, & diuisa ad magnitudinem phari, partim ad pedes, partim ad caput totum hominem depulsa caligine illustrauit. Populus in memoriam beneficij locum, in quo lux illa resplenduit in memoriam eius oratorio dedicauit.*

[e] Lib. 1. ca. 18. Sur. Nouemb.

7 Hieronymus Rubeus de Sancto Abbate Romualdo [f]. *Cùm quidam monachi Camaldulenses Bubalpini ad cadauer eius accedunt, vt illud surriperent, sed dum admouent*

[f] Lib. 5. hist. Rauennat. pag. 277.

admouent manus, abiêre in puluerem omnia exceptis ossibus, quæ sacco inuoluta Æsium, vnà cum aliis furto ablatis, important. Iamque ad cauponam diuerterant, saccóque, in quo Sancta ossa inerant, in conclaui deposito, eiúsque foribus clausis per vrbem vagabantur. Hospitis fortè puer ante cubiculi fores transiens, ardere vniuersum vidit cubiculum, continuò clamat, accurrunt omnes, distringunt fores, tandem euanescentibus flammis ossa inueniuntur.

8 Sanctus Ioannes Chrysostomus de Sanctis Luuentio & Maximo, post necem tradit vultus eorum sic splenduisse, vt in eos intendi non posse absque horrore, & eorum honore. Planéque tales fuisse, qualem Beati Stephani Sanctus asserit Lucas, dum ait [a] *Intuebantur vultum eius, tanquam vultum Angeli.* [a] Act. ca. 6.

9 In celeberrimo illo Oretensi conclaui, seu potiùs Sacrario (iure Sancta camera compellatur) theca est tecta laminis argenteis non modica. In ea Sanctissimi Martyris Eulogij, & Leocritiæ Virginis & Martyris Cordubensium corpora, ante annos viginti adstantibus Episcopis & Capitulo magna cum religione, paríque reserata est pietate. Sacratissima Beatissimi Eulogij pignora aureis micantibus stellis fulgere sunt visa, pulcherrimísque splendoribus decorata apparuêre. Summáque cum omnium admiratione, nec minori veneratione fulgores corruscabant clarissimi, claritásque iam illa in exuuiis collucebat, qua rediuiuæ suo illustrabuntur tempore.

10 Nunc verò Deus, & Dominus noster lumen æternum immensa sua virtute hoc nostro calamitoso æuo deiecta, abiectáque corpora in lucem erexit, & obscurata illuminauit, atque ad sui nominis gloriam, & Sanctorum honorem antiqua innouat, & corruscare illustrissima facit signa. Quali porrò reuerentia horum Martyrum vel minima officula, tenuissimòsque puluisculos tractari oporteat Dominus sua ostendit luce. Cum enim minus dignè aut prorsus indignè, casu, vel incuriâ sacri hi collocantur cineres, siue ignoratione neglecti iacent, illos igniculi indicant eximiéque aliquando luces collucentes demonstrant.

11 Vrgauonensis quidam presbyter, ex terra, & cineribus qui intra cranium, quod fuerat inuentum, erant, partem accepit, eámque sororibus custodiendam tradidit. Iunior in interiori fenestræ cubiculi mœniano incauta reposuit; Cum autem ingressæ ambæ dormitum recubuissent, Senior euigilauit, atque in angulo quasi fulgentem animaduertit stellam. Meminit, pessulis fenestræ & ianuæ fores occlusisse, noctémque caligosam, expauit timida vnde illa lux, qua euanescente & ipsa soporata est. Ad galli cantum experrecta sorori cum admiratione visam refert lucem. Dubitat hæc, & insomnium affirmat, negat illa. Dum colloquuntur eadem fulgurans apparet stella. Surgunt simul hilares, & cum ad locum in

quo pulcherrimus fulgebat splendor, deueniunt, inueniunt cineres illos, & terram, vnde is emicabat: Genuflexæ sacros reueritæ cineres decenti collocarunt in loco.

12 Vt Sanctos veneraretur Martyres Grannatâ Vrgauonem venit Don Franciscus Centurionius, & Corduba præstantissimus pietate vir Principibus charus, omnibúsque venerabilis, illustrissimi Astapensis Marchionis dignus frater, & ipse Armuniensis Marchio, qui non vulgari sed eximia religione debitóque est prosecutus cultu Sanctuarium, formaces & Martyres. Illud ingressus, vt sæpius Presbyteris eum comitantibus, in ipso aliquando restitit aditu, obtutúmque fixit ad duarum Crucium medium. Sciscitantibus illis quid adeò attentè intueretur, respondit; Si obtutum non effugit vestrum, quod meum, non est quod quæratis: An non illam cernitis lucem? Vnus ex presbyteris conspexit eam, & accuratè collimauit notans locum, & accedens ossiculum à terrâ eleuauit, à quo pulchellus ille emicabat splendor lucis.

13 Notæ virtutis fœmina in triclinio orationi intenta, secunda post occasum hora, lucem, vel potiùs lucis globum supra capsam notauit, quo locus omnis colluxit, exclamauit, & animi deliquio collapsa à viro, & filiis adhibitis remediis recreata ibidem mansit. Iterum illi idem est obiectus igneus lucidúsque globus ita vt arca, & cubiculum ardere sibi viderentur. Clamoréque edito filij & domestici accurrunt, qui nihil primùm, postea lucem illam sunt intuiti. Vt autem experirentur qualis esset, lucernam amouerunt. Eáque amota splendidiore colluxit luce trichinium. Móxque euanuit, ipsique discessêre. Acclamante deinde puero, reuersi sunt conspiciúntque quasi asteriscum sursum deorsum supra capsam volitare, per horam circiter, quid autem significaret nemo assequebatur. Sequenti nocte per thecæ seram, & rimas se lux cubiculum irradians exerebat: tunc fœmina illa intellexit, sacros esse cineres, quos ibi cum profanis cõcluserat vestibus, idque minùs decens, & irreligiosum, extraxit eos reuerenter, ac ipsa domus, & domestici fragranti sunt perfusi odore: Confirmati omnes sunt & hunc, & lucem à cineribus fuisse.

14 Alia etiam pia matrona ex priori fornace puluerem, & fauillas collegerat, domíque inter fictilia condidit vasa, Vestibulum postera nocte collucere mirata, vestigat vnde illa lux. Offendit autem ex cineribus, qui inter vasa erant, emicare, eos reuerita conuenienti reposuit loco.

15 Vrgavonensis municeps quidam cubiculum ingressus, tres eius operæ, in superiori alio dormire soliti domum comburi clamitant: Ascendit ille cum fratre celeriter, vident ambo flammam è solo exurgere, tectúmque lambere: exquirunt diligenter ignis caussam, aduertunt ab ossiculo esse ex capitibus in fornace repertis. Non sine lachrymis quinque illi

viri

viri genuflexi id venerãtur, eleuãt,decoróque obuolutũ brandeo ſeruant.

16 Ex honeſtis Vrgauonenſibus ciuibus ſex menſe Decembri in mercatu erant, vnáque cum illis preſbyter, qui diſtantem octoginta circiter paſſus, è ſolo lucem vibrari notant, Sole iam alto, ſudo, ſerenóque cœlo. Ocyus curiosè vnus ſcire cupiens, vnde ille fulgeret ſplendor, quem ſolis non ſuperabat, quæſitum abiit. Cum propiùs acceſſit, nihil vidit. Reliqui conſpicientes, illúmque aberraſſe nutibus indicabant locum, donec pede lucem operuit. Accedunt omnes pariter, ac ſub veſtigio inter paleas oſſiculum inueniunt. Recedunt in locum ex quo lucem conſpexerant, nec ampliùs vident, ſed certiſſimò exiſtimant ab illo fuiſſe, & inter ſe ſunt ipſum partiti; Suam quiſque particulam omni gemma pretioſiorem æſtimauit.

17 In ipſa Epiphaniæ nocte intempeſta intentiſſimè vir pius in Sanctuario orabat. Inopinatò violenter, nulla manu vultum in dextram impelli ſenſit: Cenſet, & ſuperiorem eſſe vim, nec vacare myſterio. Accuratè reſpexit in eam, in quam impulſus fuerat partem, ac in dirutæ domus pariete vidit rutilantem matutino ſimilem luciferum. Vocauit Sanctuarij excubitorem, & tacitus digito indicat fulgidum illud ſydus: Magnóque animi oblectamento in parietem aſcendunt, & ſub ipſa inueniunt luce oſſiculum digito non maius. Cuſtos vir nobilis vſque ad auroram manſit recogitans lucem illam, quæ illius illuminauit mentem, & propoſuit vitæ, morúmque mutationem, ſeque ad Dominum per pœnitentiam conuertere. Fulgoribus his hic inſitus effectus, & effectrix ad Sancta vis.

In oppido Anduxar ex Sanctuario cineres repoſiti in cubiculo, in quo lini non minima ſeruabatur copia. Noctu aduertunt famulæ in eo flammas, comburi opinatur Linum: Turbantur omnes. Auſa eſt virgo accedere, & ingredi, & ignem ex cineribus eſſe oſtendit, acceptóſque diligenter, religioséque cuſtodiuit. Eorum autem virtute plura Domino volente ſunt facta miracula.

18 Frater Lazarus Garcia ex Seraphica D. Franciſci familia in Fortunatis ortus inſulis, ex iis in Hiſpaniam traiecerat, & ad Palmam Cordubenſis Epiſcopatus oppidum morabatur. Madridium is cùm pergeret, in itinere mirabilia, quæ Dominus Vrgauone Sanctorum Martyrum meritis operaretur, vt inaudiit, in eam à via digreſſus diuertit; Sanctuarium adit; vndecima Ianuarij M. DCXXIX. & nocte media cùm rem omnem attentè conſiderat, notauit quoſdam exiguos, velut ſcintillas, fulgurare ſplendores. Qui ipſi magis confuſionem, quàm ſatisfactionem peperere, atque de his, quæ inaudierat dubius ambigere cœpit. Sed vt certus eſſet, quid in re tanta certò credere deberet, neque ſibi dubitandi deinceps foret anſa, Oſſiculum, quod petitum à religioſis ac-

ceperat fæminis vstulatum inter lapides vtriusque turris Sanctuarij constituit. Ab eo dissitus triginta p. m. passus, ipsum, respicere curauit, & lucem fulgentem conspexit. Eo, quo è speculo modo, cùm solis illustratur radiis, splendor emittitur. Miratur ille eximium conspectum fulgorem. Eóque ductante rectâ ad ossis fragmen contendit, iniectáque suscepit manu magna cum veneratione. Occultare tantum decreuerat miraculum, nè sibi vnio ille pretiosissimus auferretur. Sed nefas putauit, religione tactus, iuratus hoc dedit testimonium.

19 Adduxerat domum fæmina ex Sanctuario cineres, ad fenestræque velum appendit. Cúmque dormitura recubuisset lucernâ extinctâ ad illud asteriscum fulgurare aduertit. Notatóque loco lucem non aliunde quàm à cineribus splendere certissimò credidit. Ad auroram eumdem intuita est asteriscum, quem etiam eius conspexit soror.

20 Condiderat in theca sacros cineres Vrgauonensis mulier. Noctu verò super eam lucêre conspexit splendorem, magnóque est consternata timore animo deficiente decidit. Aduenientibus domesticis restitura est. Atque iterum eumdem scintillare adspexit fulgorem. Adspexere, & qui cum ea sed non adeò viuidum, & micantem, sed quasi argenteos lunæ radios: Euanuit vaga illa lux, omnibúsque persuasum eam à cineribus prouenisse sacris.

21 Leuita quidam Petrus domum ex Sanctuario extinctas, quæ in fornacibus fuerant, adduxit fauillas, in arca condidit. Post Solis occasum ex illa lucem oriri intuitus, ac discursu vario vagari, sed nihil eius adspectu motus est. Post biduum Dominica die manè, dum induitur lucem priore splendidiorem & ampliorem vidit. Expauit ille, & concussis contremuit ossibus, & raptim arreptis pileo, & pallio celeri se in viam proripuit cursu. Certissiméque credidit, & medio iuramento affirmauit, lucem bis clarissimè à se conspectam, éque sacris micasse pignoribus. Tum quòd nunquam eam vidisset ibi, tum etiam, quia ea inde fulgebat vbi illa sita erant.

22 Non Vrgauone tantùm, vbi sæpissimè, sed plurimis in locis, quocumque ex Sanctis cineribus, Martyrúmque exuuiis particulæ deferuntur, similes emittunt fulgores, & luces. Ac quasi sydera pulchra fulgere cernuntur. Plures referuntur casus, duos non prætermiserim.

23 Accitanæ Ecclesiæ Archidiaconus, ea dignitate, & ampliore, simul & fide dignus mihi seriò retulit. Quòd cùm ex Sanctuarij peregrinatione fuisset reuersus, officulum, quod inde adduxit, partitus est, miculáque subsiliit, quam dum aliò respicit scintillare vidit, vt aureæ bractolæ particula vibrare solet fulgorem. Cum illo puer aderat qurem leuare iussit, & adferre. Paruit ille, sed appropinquanti splendor euanescebat, donec

nec accuratè loco notato miculam reperit. Ipsam cæterásque tam insigni signo illustres magna est reueritus religione *particulas.*

24 Huius vertentis anni initio in oppido Torreximeno Giennẽsis diocesis, cum ciuis satis notus ex Sanctuario puluerem adductum chartáque inuolutum dum euoluit puluisculi sunt lapsi, quos reuerenter collegit. Sed tenuissima pars melopeponis cortici inhæsit. Luxque ab ea micare conspicitur. Triduo omnium intuentium admiratione ea lux in obscuro fulgebat loco. Testésque plures deposuêre coram iudice, cui Cardinalis rei cognitionem delegauit.

25 Huiuscemodi pluribúsque aliis moti prodigiis quotquot Vrgauonem adueniunt: Adueniunt autem quãplurimi Sanctos veneraturi Martyres, ostiatim sacros emendicant cineres, & ossicula. Municipes libenter erogant: atque illos diligenter, accuratáque compactos, & subactos orbiculari, seu ouata plana specie redigunt in formam. Pulcherrimísque signatos sigillis typos efficiũt In his IESV D.N. eiúsque genitricis MARIAE & Martyrum nomina speciosis caracteribus, additis aliis inscriptionibus pulchrísque aliis figuris, Circulísque aureis, & argenteis vitreísque orbiculis includuntur. Eleganter hi typi effigiati in vniuersam deferuntur Hispaniam. Ac sæpius sanguinem sudasse sunt visi, ac alia insignia miracula sunt.

CAPVT XXVII.

Apparitiones, obiectaque visiones variæ ad Sanctuarium.

1 IN Ecclesia apparitiones, & visiones esse vtriúsque instrumenti tabulæ adstruunt. Quas, vt veras suscipere debeamus illa iudicat. Sanctorum historiæ plurimas continent. De his disquirere, nec exempla proferre non est huius scriptionis. At est candidè, sine fuco referre quæ attestationibus sunt comprobatæ. Sanctissimæ Sedis erit Apostolicæ ipsarum cognitio, & iudicium. Ad eam defero, & propono.

2 Vrgauonensis Municeps ante tredecim annos Augusto mense erat inter duas turres horologij, & proximam, quæ mutila dicitur, nocte iam concubia ter campanulæ tinnitum quasi, intra castri mœnia, inaudiit. Cum eo aderat conciuis amicus. Credunt ambo signum datum, vti cùm Sanctissima EVCHARISTIA ægrotis est deferenda. In templum pergunt, clausum, nec in ianua aliquis erat. Reuersi in eumdem locum ter idem insonuit tinnitus. Sequenti nocte Prior eodem aduenit solicitus de euentu, reíque nouitate. Ac eadem hora similem sonitum insonuisse aduer-

tit. Ecclesiam adiit clausámque inuenit. Regredienti iterum & tertiò cymbalum auditum. Respexit tunc tenuissimi velut cerei exiguam lucem. In eam ire festinat. Dum contendit, ipsam neminémque vidit: Reuersus in priorem locum mansit ad auroram nihil ampliùs audiens, vel conspiciens. Adulto iam die hoc viso perculsus Sancti Martini ædẽ adiuit, præuiáque ex homologesi Diuina sumpsit mysteria, ac paro-cho quæ acciderant retulit. Hic autem ipsum monuit, iterùm in eumdem se conferat locum, & huiusce rei finem experiatur, séque socium offert. Ad eamdem horam diuisi exspectant ambo: Sed ille solito audito tinnitu ad Ecclesiam properat, ac ei oblata species, quæ puerum duodecim annorum referebat, in habitu monachali, in sinistra campanula, qualis in Missæ celebratione pulsatur: In dextra verò tenuissimus accensus cereus qualis in vsu sartoribus. At turbatus, obuerso in eum vultu, exserit ensem obuoluto pallio tremula infit voce. Si es ex his qui meliori potiuntur vita, quid velis profer. At phasma respondit: Nondum est tempus; Et euanuit. Postera die à Parocho vocatus, siquid vidisset interrogatus, (nihil namque ipse conspexerat) Spectrum à se dixit visum, cæteráque ex ordine narrauit. Quibus intellectis, Parochus iussit ne deinceps in eum accedat locum, promisit ille, & promissis stetit.

3 Cùm plurimi in Sanctuario pro more adessent, Iuuenis quidã ex duarum turrium angulis, ex vno duos, ex altero tres egressos vidit, sibi inuicem occurrere viros candentibus in stolis lumine veluti interno pellucentibus, & cùm supra adstantium, nil sentientium capita lento gradu quinquies circumiissent, recessêre.

4 Alij autem cùm extra aggerem, in inferiori essent via, quinque veluti pueros conspexerunt habitu albo monachali ex turrium angulis procedentes, in manibus ardentes gestabant faculos, hinc inde euntes & redeuntes, intérque eos, qui intra vallum erant, obuersabantur, nemine illos videntè, regressis in locum vnde exierant. Lux splendida post horam apparuit.

5 Eadem propemodum visio aliis diuersa nocte est manifestata. Sed in manibus laternæ ante pectus, & in his accensæ conspiciebantur candelæ.

6 Ex Sanctorum Martyrum turri pia aduertit fœmina viginti circiter viros singillatim prodiisse. Priores quatuordecim in cãdida veste cubitis ante pectus decussatis, ceruicibus inclinatis. Extremis non idem candor in veste. In contrariam omnes ascenderunt turrim, eámque sunt ingressi. Mulier hoc viso maximè consternata in genua se demisit cæteróque eo est magnoperè oblectata.

7 In secunda reperta fornace duæ simul religiosæ sorores orabant.

Hominis

Hominis nudi medij acephala obiecta illis est species, lato pectore, truncatis brachiis, collúmque fumabat. Earum altera obstupuit; & metu pauens sororem nutu rogauit, an ipsa cerneret truncum nudum à zona corpus: & se intueri annuit. At ipsa non ausa amplius illud conspicere, bis submurmurans clamauit; En defunctus homo: ambæque exhorrescentes obtutum aliò diuerterunt.

8 Religiosa quædam mulier Sanctuarij lumina optabat conspicere: Vidit verò octo in prima fornace quasi lucernas fulgore errantes. Exiit autem è Sanctuario, & in via est scisitata vbinam essent carceres subterranei, quos Arabes Macmorras vocant, Puella indicauit esse ad eius dextram: sub turri nimirum, in qua vetustum Campanile. Accessit mulier ad antemurale, & ascendere est conata ad fenestrinulã sagittariam. At cùm non facilè posset, inaudiit per ipsam fenestrinulam: *Si scandere non vales, porrige manum.* Vbi vocem percepit, conspexit pulcherrimum puellum fulgoribus illustrem, candenti veste, facie rosacea, qui ipsam tacitus intuebatur. Eius illa intuitu exterrita animo consternata, omníque destituta cecidit sensu; Ipsam fœminæ, quæ aderant aliæ in domum deduxerunt proximam, atque aquæ haustu & adspersione est recreata: debilitata tamen diu ex tremore mansit.

9 Municeps senex cum duobus sociis in municipium pergebat, pluuia, & noctis ingruente caligine à recto deuiauit itinere: Is, vt qui sexagesimum quintum exegisset annum, actum de se, si ibi pernoctaret, credidit. Hoc perculsus metu Virginem Sanctissimam, Beatósque Martyres BONOSVM, & MAXIMIANVM magno cœpit feruore inuocare. Nec mora, iuxta illum duo clericali talari habitu, humano maiores adstitêre. Expauit ipse, ac vt se intuentes conspexit, euanuêre. Iterum iidem illi se offerunt, eorum senex conspectu animatus progressus Vrgauonem peruenit incolumis.

10 Maij prima die anni proximè præteriti fœminæ quinque, in Primarium vt Sacris interessent, pergebant templum; Dum conueniunt in murò inter duas turres & Campanilis veteris, & palumbarioli, Puelli quinquennis ipsis est obiecta effigies, is in veste violacea & super humerum Crux, quæ etiam vexilli referebat formam per mœnia gradiebatur. Dubitarunt illæ, an ex suis esset: aduertunt verò in turrim non ingressum, ad eámque nullum patere aditum. Hora erat ante meridiem nona, vidit & Puellum iuuenis: Nota omnibus, etiam & Cardinali, qui tunc aderat manifesta hæc visio.

11 Mense Augusto ad Solis occasum adolescens quidam Sanctuarium adiit: dum ad Cruces preces fundit, Sanctósque inuocat, sibi etiam, quæ alijs obiiciebantur, Cruces Dominum precabatur manifestari. Maximè

eo est

eo est accensus desiderio, cùm ab aliis tunc conspici audiret. Is tamen nil cernit aliud, quàm fulgetra. Aduertit tandem, in Sanctorum turris fastigio ostium magno cùm splendore aperiri, & Sacerdotem in alba, & stola magna fulgentem gloria: Inmanibus in crucis similitudinem compositis calix. Egressus Sacerdos per splendidam descendit scalam. At adolescens huius nimio spectaculi horrore perculsus animi deliquium passus est collapsus. Confiteri se cupere vocis clamore indicauit. Sed cum se collegisset, alium est intuitus Sanctum Crucem baiulantem, plures etiam alios cum crucibus non vnius formæ nec magnitudinis sequentes; Dum autem ait, *Et ego hanc sequi processionem, quàm vellem*: iterum defecit Tantáque est consternatione raptus, vt nullus spiritus, nec pulsatio arteriæ deprehenderetur, sed mortis signum. Medico verò de eius salute desperante, & cohortante extrema est procuratus vnctione At plures post conualuit, & iuratus hæc omnia deposuit.

12 Fœminis duabus piis persimile est oblatum phasma, senior & animi deliquium est passa.

13 Sanctos veneraturus Martyres Vbedensis quidam iuuenis Vrgauonem venit. Ante Solis occasum Sanctuarium adiit. In muro, & Sanctorum turri, quasi stellas, plures conspexit luces, nec eiusdem splendoris, nec magnitudinis. Postera die ingressus Sanctuarium Sole cadente plures è cœlo Cruces est intuitus descendere non vnâ, sed diuersa specie, magnóque candore, & eximio fulgore. CHRISTI deinde Domini nostri effigiem, Cruci, quæ est in Sanctorum turri confixam vidit. Sed imago mox ipsa in turris conscendit summitatem, & magno emisso splendore, ad aliam peruenit Crucem, cui passionis Dominicæ insignia inhærens, illíque se coniunxit, ac si in ipsa fuisset affixa mox ab eius abiit conspectu, & tertiò apparens euanuit.

14 Huiusmodi sæpiùs visum diuersis noctibus vtriúsque sexus plurimis est obiectum, omnésque genuflexi Domini Nostri IESV CHRISTI effigiatam adorabant imaginem. Nonnullæ etiam piæ mulieres magno correptæ terrore sensibus defecêre.

15 Ex Argionula oppido Municipio Vrgauonensi vicino, eiúsq; colonia, Virgo adolescentula cum matre in Sanctuarium venerat, in eóque tertia noctis orabat hora. In Sanctorum turris Crucem oculos conuertit. Sub ea aduertit portam recludi pulchram; atque virum exire vidit mediocris staturæ sacerdotalibus paratũ ornamentis, planeta viridi, & purpura distincta, Calicem in manibus gestabat, & super eum hostiæ communis similem formam. Ascendit autem ille in turris fastigium, & ad Crucem cui passionis insunt signa genuflexus, in cælum intentè suspexit Ab eo mox Domini Nostri Crucifixi effigies magno cum splendore se demisit.

Ipsius

Ipsius vtrúmque latus duodecim Sanctorum stipante cœtu. Regia Virgo mater ponè sequebatur, cui infans in vlnis speciosissimus. Ambo respersi rosis, liliis, & floribus; magnísque amicti fulgoribus. Eâdem porta egressi sunt duodecim pulchelli puelli luminosi, & veste & radiis fulgentes, quos Angelos credidit, qui cum sacerdote manserunt, cæteris in cælum abeuntibus. Illo autem in oratione perstanti CHRISTI Domini Nostri iterum cum Virgine se demisit effigies, atque dextram à claro solutam lateris vulneri admouit, & sanguine ab eo sumpto Sacerdotis verticem, hostiam simul & calicem adspersit, CHRISTI'que D.N. ac Virginis Matris species illæ tenues abierunt in auras. Sacerdos cum Angelis per eandem ianuam in turrim se receperunt. Hac visione simplex adolescentula mirificè est oblectata. Lætissima domum cum matre regressa sæpiùs eius recreatur theoriâ.

Plura & alia referuntur phasmata, & spectra, quia non testibus, non scripto comprobata, prætereo.

CAPVT XXVIII.

Sanctorum Martyrum pignora proprio sunt purpurata cruore.

1 MArtyrum honos est etiam & DEI. Illorum virtutes tum in ipsos, tum etiam in eos, qui laudibus illos ornant, se exserunt. Horum autem omnium in Dominum honos resultat, gloriáque redundat. Magnus Basilius [a]. *Martyrum recolendi memoriam, quænam Martyrum studioso, atque amatori potest esse satietas? Siquidem honos in bonos conseruos collatus beneuolentiæ erga communem Dominum significationem continet.*

a In encō. 40. Martyr. inter opera. S. Greg. Thaumatur.

2 Gloriosos Martyres sua Dominus circumdat, & illustrat clarissima luce. Sui etiam sanguinis purpurâ conuestit, & cohonestat. Dicitur & purpura, lux, & lumen purpureum Poëtis, Tertulliano etiã, Arnobio Trebellio, & aliis, corona etiam donata purpurea Martyribus. Ambrosiè Ambrosius [b]. *Tota ista descriptio membrorum Ecclesiæ plena decoris, & laudis est,* &c. *Vnde & ipsa tanquam bene merita Regina* CHRISTI *sanguine coronatur, sicut scriptum est: Et ornatus capitis tui sicut purpura; Sanguis* CHRISTI *purpura est, qui inficit Sanctorum animas, non solùm colore resplendens, sed etiam potestate, quia Reges facit, & meliores Regibus, quibus regnum donet æternum. Meritóque ad tantũ Ecclesiæ decorem, cui* CHRISTI *sanguis irrutilat,* SPIRITVS *Sanctus inclamat: Quàm pulchra, & suauis facta es,* &c. Et alibi [c] *Chlamyde coccinea induitur Dominus à militibus, & secundùm Ioannem, veste purpurea circumdatur. In altera designans Martyrum palmas, in altera Regiæ potestatis insignia.*

b Beda Sermon. 18. de sãct. Amb. in psal. 118. Octon. 18.

c In Luc. cap. 23.

3 Seruatoris igitur Domini Nostri IESV CRRISTI toties laudes prædi-

cantur, quoties Beatorum Martyrum præconia celebrantur. Ipse, propter quem passi sunt, eos suis ornat, & afficit honoribus. Eius fusus est sanguis, in pretium, & lauacrum, quo ipsi tincti, & lauti candidati sunt, atque eius fulgurantibus irradiantur radiis. B. Ioannes Chrysostomus [a], *Sæpenumerò sub auroram Solem exorientem vidistis, & quasi croceos radios emittentem. Talia Sanctorum erant corpora, dum veluti crocei quidam radij viui sanguinis vndique illis diffluerent: eorúmque corpus multò quàm cælum Sol ipse splendidius illustrarent. Hunc sanguinem Angeli contuentes oblectabantur, dæmones horrebant, & ipse diabolus tremebat. Non enim sanguis erat simpliciter, quod cernebatur; sed sanguis salutaris, sanguis sanctus, sanguis cælo dignus, Sanguis, qui pulchras Ecclesiæ arbores perenni F. irrigatione fœcundat. Vidit hunc sanguinem horruitque diabolus, recordatus est quippe alterius sanguinis Dominici. Proptem illum sanguinem hic effluxit, ex quo enim Domini latus apertum est, sexcenta deinde latera confossa contueris. Quis enim non summa cum alacritate, gaudióque sese ad agones istos ineundos Dominicis passionibus communicaturus, & CHRISTI Domini morti conformis futurus accinget?* O aurei sermones, verè ore aureo digni? Aptissimè nostris congruunt Martyribus.

[a] Homil. 76. G. Lat. pag. 868.

4 Pretiosissimi Domini Sanguinis Diuina æternum perennat virtus, atque nonnunquam, qui sacrosancto in EVCHARISTIAE latet mysterio, miraculo se manifestat. Occultúsque ille, qui sub specierum velamine abditus tegitur Sanguis, nulli conspicuus conspicuum se oculis præbet nostris. Cúmque ad sinceri cordis confirmationem fides sufficeret sola; illa siquando in aliquorum nutat animis, & sensibus, admirabilis huius signi eos falli conuincit demonstratione, atque efficit, ne ex Diuini huius PANIS contuitu, & gustu humanum sit iudicium: Sed citra vllam dubitationem fides certum reddat, & confirmet Angelicus Thomas, *Accidentia*, inquit, *sine subiecto in eodem existunt, vt fides locum habeat, dum inuisibile visibiliter sumitur sub aliena specie occultatum, & sensus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus iudicant sibi notis.*

5 Indicauit incredula illa matrona, quæ cum [b] Magnum audiisset Gregorium dicentem CORPVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, subrisit, ac negata illi sacri mysterij participatione, quæsiuit Sanctus Pontifex, quid sic temerè risisset? Diu illa mussitans respondit: *Quia quem propriis manibus me fecisse cognoueram, Tu* CORPVS *Domini eum perhibebas*. Tunc Magnus cum plebe se in orationem prostrauit, móxque surgens PANIS Diuini particulam in altari carnem factam reperit, atque infideli fœminæ & cunctis ostendit, & illam ad fidem reuocauit, & populum confirmauit: in orationem rursus cunctis prostratis Caro in PANEM est reformata.

[b] Ioann. Diac. in eius vita lib. 2. ca. 41.

6 Quid nunc hîc illustrissimum Darocensium Corporalium miraculum inseram, pluráque per Hispaniam facta huiusmodi prodigia? Omitto, sicut

to ſicut & Vvlſinienſe: quo Vrbanus beatiſſimus Quartus motus; quod iam diu excogitarat, Sanctiſſimi CORPORIS CHRISTI D. N. feſtiuitatem inſtituit.

7 O idem Dominus faxit, BEATISSIME PATER, vt quemadmodum, à QVARTO illo Octoni DIVINO PANI annui dicati ſunt dies, à BEATITVA, nam ab eo TV etiam es QVARTVS, MYSTERIORVM MYSTERIO IVGI LAVDIS SACRIFICIO omnes QVINTÆ totius cuiúſque anni feriæ conſecrentur. Sacræ illi olim vt in adoleſcentis Eccleſiæ exordiis fuêre, EVCHARISTICA aliquot Symbola in faſciculum ad hunc ſcopum conligo, ea propitio fauente numine aliquando (voueo, & ſpero) ad TVI APOSTOLATVS oblaturus afferam Sacrarium.

8 Omitto ergo plurima per orbem vniuerſum admiranda ſigna, quibus ſuum arcanè latentem Dominus manifeſtauit ſanguinem, atque Diuinæ auguſtiſſimam maieſtatis abditam declarauit præſentiam. Huius honoris eximio ornamento Dominus Martyres ſuos inſignitos voluit, atque ſanguinem pro ſanguine ſuo effuſum ſemper in conſpectu ſuo viuum & tepentem perſtare ſolitus eſt indicare[a]. Optimè Auguſtinus. *Quid enim agit Deus mira opera faciendo circa Sanctorum corpora defunctorum? Niſi teſtimonium perhibet, ſibi non perire, quod moritur? Et vt hinc intelligatur, in quali honore ſecum habeat animas occiſorum, quando caro exanimis tanto affectu Diuinitatis coronatur? Ita Prouidentia Creatoris cadaueribus Martyrum tam præclara miraculorum teſtimonia præſtando abundantiorem honorem* EXANGVIBVS RELIQVIIS *hominum circumponit, & quod vitâ migrante tanquam deforme iam remanet, ibi euidentius* PRÆSENS VITÆ DATOR APPARET. APPARET ſanè euidens, & manifeſta DEI virtus, & erga Martyres beneuolétia, cũ ex cineribus, oſſibúſque eorum aridis, frigidis, & exanguibus recentiſſimus, feruénſque erumpit ſanguis, qui illum ſignificat, cuius pretio à miſera ſumus ſeruitute redempti. Atque ſuccedaneâ quadam confeſſione glorificat, & præconio clamans prædicat puriſſimum, purpurantémque cruorem, in cuius teſtimonium pro ipſa veritate ſuum teſtes libentiſſimè profuderunt. Profundíque nunc etiam Dominus vult ad Martyrum tum glorificationem: tum etiam vt teſtetur, & ſibi gratiſſimum, & fuiſſe, & eſſe, ſimul & eorum ex imitatione & veneratione profectum noſtrum.

[a] Tom. 10. ſerm. 9. de B. Vincent.

9 BONVS Dominus, & munificus, qui ſimili, quâ indutus purpura dilectos ſeruos, vti amicos amictos vult & amplificatos exornat: ne qui ambigat, ſit, ex ipſius familia domeſticos, qui huiuſmodi decorati ſunt fulguranti rubore; Veſte namque, cultu, habitu, coccineóque colore cuius ſint Domini præ ſe ferunt; ipſúmque repæſentant, qui omnibus commendatos perſpicuè oſtendit, & tanquam ſibi chariſſimos obſeruari, & idoneo, congruóque coli obſequio vult.

10 Quidni debito prosequamur? Beatus prosecutus est Ambrosius, ac hilaris de suorum Martyrum effossione scribit [a]. *Eruuntur nobiles reliquiæ de sepulchro ignobili: ostenduntur cælo trophæa. Sanguine tumulus madet, apparent cruoris triumphantis notæ inuiolatæ reliquiæ loco suo, & ordine repertæ, auulsum humeris caput.*

[a] Li. 7. epistol. 54. al. l. 10. ep. 85.

11 Avulsa, & Martyrum nostrorum, ac separata inuenta sunt capita; Cineres ipso cruore, & rubore pingues, & adipe madentes, subliuidus color violaceo proximus, odor, & adspectus minimè ingratus, qui nõ horrorem, sed amorem conciliaret. Non post tot sæcula vlla corruptio, aut putredo. Sed de his inferiùs.

12 De iisdem Geruasio & Protasio Gregorius Turonensis [b], *Cecidisse*, inquit, *è camera tabulam vnam, quæ illisa capitibus Martyrum riuum sanguinis elicuerit, de quo infecta linteamina, vel polluta, siue vela Ecclesiastica, beatus cruor collectus est, qui vsq; adeò cõfluxisse fertur, quoadúsq; linteamina, quæ susciperẽt, sunt reperta.*

[b] Lib. 1. de glor. Mart. cap. 47.

13 Presbyter Paulinus in vita B. Ambrosij de Sancto Martyre Nazario, *Vidimus*, inquit, *in sepulchro, quo iacebat corpus Martyris, (qui quando sit passus, vsque in hodiernum scire non possumus) sanguinem Martyris ita recentem, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius, quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum, atq; incorruptum cum capillis capitis atque barba, vt nobis videretur eodem tempore quo leuabatur, lotum, atque compositum in sepulchro.*

14 Mirabiliora, & maiora de Sancto Albano Martyre Beda refert & habet L. Surius. 22 Iunij.

15 [c] De Sancti Modoaldi Treuirensis Episcopi reliquiis Abbas narrat Stephanus furtim ablatis copiosum fluxisse sanguinem, tanquam ex patenti, recentíque vulnere, atque Ecclesiæ pauimentum eo largè perfusum. *Nam ex membris eisdem extractis, mirum dictu, sanguis copiosus erupit, qui raptorum stillando denotans vestigia, nusquam locorum fugitiuos deseruit; donec die terris reddita ab insequentibus rei comprehenderentur.*

[c] Lib. 3. c. 5. In Surio. Maij 12.

16 [d] Sancti Thomæ Episcopi Herefordensis ossa ad Sedem deferebantur suam. Comitiolus quidam sacrilegus obuiàm illis venit, qui beatum virum ob Ecclesiæ iura afflictarat, ex ossibus subitò copiosissimus emanauit sanguis, ita vt sandopila sanguine perlita appareret. Id Comes cernens erubuit, & iura sua Ecclesiæ restituit.

[d] Sur. 2. Octob.

17 Vere Martyres Antistites Sancti quos impij, & iniqui, impiè, & iniquè ob Ecclesiæ Iura infestant, & insectantur, illíque patienter sustinentes pro viribus ea tutantur. Væ miseris, væ, væ, qui Christos Domini violenter exagitant, & eorum immunitatem vecordes labefactare conantur.

18 [e] Ex Sanctæ Virginis & Martyris Euphemiæ sacris exuuiis frequentissimè odoriferum solitum sanguinem manare, tanquam pretiosissimum vnguentum, multi tradunt.

[e] Eas refert Cardinalis to. 6. anno. 451.

19 Sanctus

19 Sanctus Episcopus Eligius Beati Martyris Quintini corpus inuenit, & ab eius auulsit maxilla dentem, ex cuius radice sanguinis stilla manauit.

20 [a] In Indiæ Orientalis Sancti Apostoli Thomæ ciuitate, quæ Mapheio Meliapora, Osorio Episcopo Syluensi Malipura dicitur: in quadrato lapide Crux est insculpta, in summo columba inclusa marmoreo circulo in quo ignotæ exaratæ literæ. Inter eius adiunctionem, & oscula B. Apostolus Martyrio fertur coronatus. Marmoream hanc tabulam in ara inclyti erexêre Lusitani, Octauo ante CHRISTI Domini Nostri festa natalitia, & tertio ante Apostoli solennitatem die, qui in Hispania celeberrimus est, & Annuntiatæ Virginis solennitate consecratus, & Exspectatio vocatur partus In eam, in qua est Crux, ædiculam rei Diuinæ caussa plurimi conueniunt Christiani, simulátque Sacerdos sacrum orditur enuntiare Euangelium, vniuerso inspectante populo, Crux illa modicis primùm stillis, largo deinde sudore manat. Admouentur mapulæ, & oraria, aliáque linteola, quæ liquido cruentas ebibunt guttas, quæ largissimo vniuersam liquore perluunt Crucem. Cuius color è candido sensim in pallidum, & è pallido in atrum cedit. Grato posthæc splendore cæruleus effulget: Peracto Sacrificio natiuus redit.

[a] Surius Mens. Decemb.

21 Magnus Gregorius Constantinæ scripsit Augustæ [b], *Sanctæ memoriæ decessor meus ad corpus Sancti Laurentij Martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur vbi venerabile corpus ipsius esset collocatum, & effodiunt exquirendo, subitò sepulchrum eius ignoranter apertum est, & ij, qui præsentes erant, atque laborabant monachi, & mansionarij, quia corpus eiusdem Martyris viderunt, quod quidem tangere minimè præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt.*

[b] L. 3. epist. 30. Ioan. Diacon. li. 3. cap. 55.

22 Minimè prætermittendum censeo, quali, quantáque veneratione ad Martyrum loculos accedendum, vt etiam ad fossuram non nisi viri religiosi, & Ecclesiæ mansionarij Læuitæ nimirum, & Sacerdotes admittebantur; Non laici, non operæ pretio locati, aliíque impuri, & iniqui: O pudeat nunc hos adhiberi ad tantum ministerium?

23 Prosequitur Pontifex. *Est autem Romanis consuetudo, quando Sanctorum reliquias dant, vt quicquam de corpore non præsumant, sed tantummodò in pyxide brandeum mitti, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Vnde contigit, vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, sicut à maioribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forcipibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit.*

24 De eodem Magno Sanctissimo Gregorius Ioannes Diaconus refert [c]. Quòd cùm Principum quibusdam legatis in pyxidibus brandea huiusmodi, pro reliquiis pro more clusis dedisset; illi in itinere reseratis sigillis brandea inuenerunt, Romámque reuersi, apud Pontificem que-

[c] Li. 1. c. 41.

rulè sunt questi, quòd pro reliquiis vilem sibi dedisset pannum. Magnus tunc diuinam celebrabat Synaxin, quâ peractâ, brandea ab oratoribus accepit, & in altari collocauit, séque cum omnibus in orationem dedit; Ab ea surgens legatos iussit accedere, & accepto gladiolo, vti beatissimus fecerat Leo brandea pupugit, sanguísque protinùs erupit, eóque miraculo tam legati, quàm alij adstantes tremefacti sunt. Mox Pontifex, & alij in preces se prosternunt: quibus absolutis, brandea sine puncturis & sanguine, vti priùs erat, conspexêre.

25 Ex cineribus, & ossibus Martyrum sanguinem fluxisse non multa sunt exempla. Quod commune, ex his vnguenta, aliíque liquores manare prodigiosè consueuêre: vti ex Beati Andreæ Apostoli, Sancti Nicolai, Glyceriæ, Euphemiæ, Euthymij, Elisabethæ, & aliorum Sanctorum corporibus, & reliquiis [a]. Ex Sancta Euphemia sanguis odorifero mixtus vnguento. De his Bozius aliíque exemplorum collectores: qui etiam multa referunt de CHRISTI Domini Nostri, eiúsque Genitricis Virginis sanctis imaginibus vulneratis largissimum manasse sanguinem.

a Nicep. lib. 18. c. 31.

CAPVT XXIX.

Ex Sanctorum Martyrum Vrgauonensium ossibus, & cineribus frequens sanguinis eruptio.

1 VIrtutibus magnus, immò magnes omnes in sui mirabilitatem trahit Martyrum: pullulascit ex aridis, gelidísque fauillis, & ossibus: & vt chalybem ille, sic hic ferrea liuore pectora rapit. Mollit, subigit incultum, quasi cultum fœcundat agrum, vt lætissimas ferat segetes in credentiũ vtilitatem: in nascente quod factum legimus, in senescente (non tamen vnquam senescet) intuemur Ecclesia. Renouatur vt aquilæ iuuentus eius. *Fremuit impetus gentium aduersus testes* CHRISTI, *effusus est magnus, & multus Martyrum sanguis, quo effuso tanquam seminata seges Ecclesiæ fertilius pullulauit, & totum mundum, sicut nunc conspicimus, occupauit*, præclarè dixit Augustinus [b].

b In Psal. 58.

2 Exaltat vocem suam, & quasi victorialis tuba Isaias intonat [c]. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* Symbolicòs interpretatur noster Hieronymus [d] Prado de Martyribus, quos Dominus compellat interfectos suos, ipsius namque caussâ, & dilectione sunt occisi. Eorum constantia, & virtus in Ecclesia adhuc viuit, & spirat. Ac sicut ipsam olim firmauit, & stabiliuit, nunc auctam exornat. Atque prostratis

c Ca. 26. 19.

d In fin. c. 26. Ezechi-

proſtratris & conculcatis gigantibus Deciis, Diocletianis, Datianis, aliíſque tyrannis gloriosè triumphat.

3 *Quia ros lucis, ros tuus.* Vt iuſti exultant, & iubilant in laudum canticis Martyres, ac eorum eſt concentus Ros lucis nobis, Altiſſime, Ros tuus, ipſe matutinus nobis, noſtríſque ſiccis oſſibus. Ipſe cadauera noſtra è tenebroſo velut carcere eruit in lucem, & cælum intueri fecit, tanquam à lethi horrido lecto ad vitam, vitalémque reuocauit in auram. Lux tua nobis refocillationis, lætitiæ, gratiæ, omníſque boni cauſſa. Lucet & ducit per orbem. Immota quæ iacebant velut ſaxa oſſa, mouentur, & in ſinu geſtantur, & magno decorantur honore. Lux hic infonte אור *Or*, ſiue *Vr*. Ab hac ſaluifica luce ros virtutem, & vim ſuam exſerit, & oſſa velut herbæ germinant, & florent. De oſſibus Ioſue, & aliorum Ieſus Sirach: *Qui non auerſi ſunt à Domino, vt ſit memoria illorum in benedictione, & oſſa eorum pullulent de loco ſuo.* Pullulant quaſi è plantariis. Sacra, quæ Dominus indicauit pignora rorem hunc ipſis infundit, & irrorat, ac in ſanguinem conuerſus erumpit, & manat. Pretioſiſſimus hic liquor inſtar eſt germinis: Pullulat, ſanè floret, & fructificat, & vnguentum ſpirat ſuauiſſimum. Aptiſſimè ille Damaſci decor, & honor Ioannes, CHRISTVS *Dominus Sanctorum reliquias veluti ſalutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, ſuauiſſimúmque vnguentum profluit. Nec verò quiſquam huic ſermoni fidem detrahat: nam ſi aqua in deſerto ex aſperâ, & ſolidâ rupe, atque ex aſini maxilla ad ſedandam Samſonis ſitim, Deo ita volente, proſiliit, eritne, cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum reliquiis ſuaue vnguentum ſcaturire?*

a Eccleſi. cap. 46.

b Li. 4. c. 16.

4 Beneficia ſanè ſunt plurima, quæ Dominus populo ſuo confert in tanta ſanguinis exilientis ex Martyrum Vrgauonenſium cineribus, & exuuiis frequentiâ. Hanc quid caperata taxas fronte, & arguis? Munificam, magnificámque largientis venerare benignitatem. Munerum noſcere vſuram diſce. Vulnera, vlceráque tua eo vnge & perlue vnguento, & minimè faſtidies abundantiam: *Apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio.* Non vileſcit, quòd copioſa, ſed multò magis pretioſa: *Purpurata eſt vniuerſa terra ſanguine Martyrum, floret cælum coronis Martyrum, ornatæ ſunt Eccleſiæ memor iis Martyrum, inſignita ſunt tempora natalibus Martyrum, crebreſcunt ſanitates meritis Martyrum.* Beatus concionatur Auguſtinus.

c B. Aug. tom. 8. co. 30. in pſal. 118.

5 Suum Martyres erga Dominum teſtantur affectum, immò ipſe qualis ac quantus fuerit declarat: quòd non ex venis, & carne, ſed ipſis exanguibus ex oſſibus profundere amantiſſimè exarſerint. Ac toto cordis, animi, & mentis feruentiſſimo amore cruorem medullitùs effundere concupiêre. Is nunc ſpumans, & feruefcens erumpit emiſſus, eo, ad cuius gloriam fuerat fuſus, diſponente.

6 Hanc ſuæ voluntatis in Martyres noſtros Vrgauonenſes, & eorum

triumphos

triumphos prærogatiuam Deus cunctis teſtatam,notámque vult.Ex ipſo Municipio honeſtus vir Nouembris menſe anni vigeſimi octaui,cineribus primę fornacis ſudariolum lineum impleuit.Eos poſtera die in aliud miſit. Tunc in priore cruentæ apparuêre maculæ magna cum adſpicientium admiratione,Diuiníque nominis laudibus.

7 Eiuſdem ciuis adoleſcentula filia ex iiſdem cineribus partem, quæ cediderat, leuauit,& in ſinu condidit.Vt ſudarioli ſanguinem vidit,reſpexit ſinum & ſubuculam offendit etiam cruore imbutam.

8 Municeps alius, cui data glebula , ex terra , quæ cranio inuento inhærebat, ipſam charta inuoluit , & in theca repoſuit. Poſt dies ſex cum illam inſpiciendi inceſsit cupido,è lecto,in quo accumbebat,ſurrexit, & theca reſerata chartam euoluit , in eáque ſanguinis guttas recentis conſpexit,& ob reuerentiam, illis digitum admouere noluit, ſed ſeruauit,& pluribus oſtendit.

9 Idem ipſe charta tectum habebat oſsiculum,& cum ex terra ſanguiné fluxiſſe vidiſſet,an ex illo etiam manaſſet noſcere voluit, & papyrum aduertit ſanguine perlitam.

10 Cineres, quidam alius ciuis in lineo domum adduxit velo , & in indigno repoſuit loco , inuenítque atro , quaſi cruento infectum liquore.

11 Ex oppido Argionula, fœmina cum ancilla ex Sanctuario cineres, & oſsicula domum detulerat , & papyraceo albo folio amiciuit , & in domeſtico collocauit altari.Ancilla verò particulas in pectore repoſuit, eáſque modico temporis interuallo ſanguinem ſudaſſe deprehendit. Sed ex minori oſsiculo erupiſſe ſibi viſus eſt. Oſsicula verò ſimul omnia in capſula clauſa,& clarè obſerata ſeruauit. Reſerare poſtero voluit die, ſed nequiuit, magnóque correpta inhorruit tremore. Demum thecula aperta aduertit ex oſsiculis cruorem pullulare & decidebat in chartam. Qua amota nouam induxit & puram. Poſt duos autem dies reuiſit eam , & oſtendit recenti , & liqueſcenti perfuſam ſanguine , qui augebatur, manans velut ex vulnere. Veritatem caſus omni adhibita diligentia iudex comprobauit.

12 Ex Sanctuario matrona pia in idem oppidum oſsiculum cum cinere detulit. Ex iis ſanguis viſus eſt recens inſtar rubentis corallij erumpere.

13 Giennij viri duo nobiles cum vxoribus ſanguine iuncti iiſdem in ædibus, & etiam die lethargia , puncticularíque letali morbo ſunt correpti. Imminens monuit ipſos periculum, vt Sanctorum Martyrum memores eorum opem expeterent, & inuocarent , & reliquias deferri curarent.Illis paris conditionis Calatrauenſis miles amicus oſsiculum attu-

lit

lit minimo non maius vngue chartâ inuolutum. Infirma ſenior ſub ceruicali ea nocte conſtituit. Manè vnà cum carbaſeo linteo inuenit, ſanguine imbutum. Quo viſo miraculo ſalutis firmâ ſunt omnes animati ſpe, eámque conſecuti Deo, & Martyribus acceptam tulerunt.

4 In arcis poſtica parte, incolis Alcaçarezo dicitur, oſſa plura ſunt effoſa ex foſſa inter murum, & aggerem, hîc in obſidionibus omninò dirutus eſt. Ex his vir probus oſſicula tria ſe legit, charta primùm, deinde ſudariolo texit, ſocrui ille ſuæ dum oſtendit, offendit cruentis ſtillis vnum adſperſum, quod cùm ſocrus eleuaſſet, (erat autem articulus,) ab ipſo tres ex concreto alterius ſanguine ſunt fibrę pendulæ viſæ, recentémque illi inhærere aduertit ſtillam, eámque digito amouit, ſtillauit & altera. Gener, & ſocrus, aliíque, qui acceſſerant ſummoperè ſunt turbati: Ille verò oſſicula vti erant inuoluit, & domum deferens ire properauit. In via verò ſenſibus, & viribus deficere cœpit, ac cùm ſtare non valeret, corpus ad ingens declinauit ſaxum. Vt autem ſe collegit enſi innixus fatigatus domum peruenit, rem vxori narrat, & cruenta oſtendit oſſicula: Conſpicit ipſa lachrymis offuſa occultari & rei operiri euentum ille edicit.

Manè vicario foraneo, & Sancti Ioannis paræciæ Priore, & Parocho euocatis refert caſum, & oſſicula præter articulum ſanguine ſuffuſa oſtendit: Ille verò ſuo fungens miniſterio articulum occultatum manifeſtari iuſſit. Ex verbis conceperat oſſicula tria fuiſſe, & animus aliquid latere præſagiebat: Nec vanè. Ille námque compulſus eduxit, quem ſecretum voluerat articulum in capſula. Sed ſolus priùs euoluit chartam mundam & capſulam ſanguine ex articulo manante recens imbutam reperit, ipsúmque etiam tunc ſanguinem ſcaturientem. Vicarium, & Preſbyteros vocat, qui celeres præſtò fuerunt. Et ex articulo ſanguinem erumpentem conſpexere, & in charta exceptum recentiſſimum, vti ex ſecta emiſſum vena acceſsêre & alij qui magna cum admiratione ſunt intuiti: Feſtinus preſbyter vnus Neapolitanum euocat Epiſcopum, qui pridie Vrgauonem venerat horum mirabilium diſquiſitionum cognitor à Cardinale miſſus: Aduenit ille cum Notario, & familia, qui ſanguinem nondum concretum viderunt. Denſatum iam & coactum poſt tres horas in primo ruſſato ruboréque fluxit, conſpexi & ego. Eius copia pro articuli paruitate magna erat, & color tanquam ex agniculo recens mactato, viuidus, & in candida pura charta maximè emicans.

5 Sincera, piáque Vrgauonenſis matrona cranij inuenti partem modicam, & alteram coſtæ parem à Sanctuario delatas domi in exigua incluſerat theca, cum cinerciciis formis. Ex ea lucidum vibrari ſplendorem per ſpatium animaduertit. Aperuit illam & fragranti vniuerſa eſt domus

odore perfuſa. E caua cranij parte ſanguinem ebullientem, & tumeſcentem conſpexit, illiúſque rore coſtæ partem, & cinericios typos conſperſos notauit, vir aliíque vocati domeſtici viderunt.

6 Ex Argionula puer ex foſſionis eruderata terra in Sanctuario oſſiculum inuenit perueſtigatum, panniculo inuolutum miſit in ſinum thoracem inter, & ſubuculam. Dum domum reuertitur, quaſi ex æſtu in itinere anguſtiari anxius cœpit. Conſobrinæ in cuius pergebat comitatu queſtus ſe minimè mouere poſſe dixit. Ac ſimul manum miſit in ſinum, & ſanguine madentem extraxit, eáque abſterſa, alteram ſimiliter immiſit, & eduxit panniculum cum oſſiculis cruentatum, Conſobrinæ, & aliis oſtendit. Hoc tanto recreatus miraculo facillimè iter peregit, ac ſubuculam madentem, & ſanguine adſperſam deprehendit.

7 Ex oppido Villanoua de Anduxar ad Bætim venerat cum heris iuuenis agricola, qui è ruderibus Sanctuarij perquiſita in ſinu ſeruauit oſſicula papyraceo inuoluta folio: ac poſt modicum in iis ſanguinis notauit ſtillam, & exoſculatis, in eumdem ea remiſit locum: Regredienti in via collibitum iterum ipſa contemplari, æſtu enim pectus feruebat, eduxit, & aduertit in iis cruoris recentis effuſione chartam magna ex parte rubentem: Heris tunc, & alij miraculum iudicauit, vbi autem domũ omnes peruenêre, ille ſuo inſeruiens miniſterio manſit, iam noctu in vtriúſque manus digitorum extremitate fulgores apparuêre, quibus territus animi, ſenſuúmque deliquio eſt lapſus; Cui tanquam morti proximo, animámque agenti frater ex Minorum familia vocatus adſtitit, ipſius auditurus confeſſionem. Vt autem ſe collegit, rem omnem, vti acciderat explicauit, & ſanguine perlita oſtendit oſſicula: Nocte verò intempeſta iterum eoſdem in digitis conſpexit ſplendores, intuiti ſunt & alij, qui cum eo aderãt, & per tres etiam ſequentes dies; Fulgores illi quaſi in ſuccinis conſpiciuntur orbiculis. Eorum ipſi aduentus indicium ex digitorum ardore, & cordis feruore, & pulſatione. Poſtmodum cum alia oſſium fragmina, & ferri & teſtularum particulas ex Sanctuario linteo inuoluit, in ſiniſtróque latere pectori admouit. Sed mox quodam cœpit feruore æſtuare, eduxit linteum tepenti ſuffuſum ſanguine, ac nihilominus in ſinum remiſit, & ad Solis occaſum dum metit, eumdem ſenſit æſtum, atque linteo educto in eo ſanguinem recognouit auctum, non ſine ſua, & aliorum conſpicientium admiratione. Hæc dum aguntur iuuenis in ſilentio viſus eſt orationi intentus, cui poſtea variæ CHRISTI D. N. eiúſque ſanctiſſimæ Genitricis ſpecies obiectæ, ad quas etiam orare ipſum alij notarunt, & in agro dum arabat ſtiuâ omiſsâ ecſtaticum paſſus eſt exceſſum. Huiuſmodi effectus & ipſe, & alij exiſtimabant,

mabant, ex cruoris ossium prouenisse effusione, Quidni ad hanc, aliásque virtutes efficax mirificus hic sanguis est.

8 Iuuenis à Cardinali eiúsque huius negotij quæsitoribus vocatus, diligenti est publicè examinatus trutina: Priuatim etiam Pater Franciscus Louisius cuncta rimatus scrutatus est. Expensisque eius verbis vitæ, ingenij & genij simplicitate sincerâ, qui non astu, malitiáve callidus, versutia vafer, nec omnino rudis esset, & in religione probè institutus, probus & inuentus, & iudicatus est, licèt vnus aut alter abnuerent.

9 Municeps pharmacopola, vir non ignarus & pius, ex illo castri postico Alcasarezo, digiti mensura vstulatam repertam comminuit costam, vt formis ex cineribus compactis fragmina inderet; ex his inditis cruor visus fluere. In aliis verò typis, in quibus ex aliis ossibus particulæ non autem ex costa erant inductæ nullus fuit sanguis.

10 Huius Pharmacopolæ filius cineres ex Sãctuario collectos sudariolo inuolutos manu pressit, ac ex eis inter medios digitos sanguinis purissimi guttæ effluxêre, quæ cõcretæ statim sunt, eásq; ipse cineribus immiscuit.

11 Vrgauonensis presbyter cubiti partem ex Sanctuario delatam nitidáque amictam chartâ custodiuit. Plures post dies eam euoluit, nigricantíque sanguine infectam cæcutientibus oculis non plenè videre valuit, & amicis presbyteris duobus ostendit, qui verum nouerunt, & affirmarunt sanguinem. Hoc ille motus ostento nouæ vitæ rationem inire decreuit, & fecit.

12 Ciuis vir probus os & cineres papyraceo tectos folio vxori custodiendos tradidit: hæc pyxide inclusos ab illo repetitos reddidit, at chartam cruentis litam stillis aduertit, & indicauit viro.

13 Pluribus in Sanctuarium matronis ingressis ab aliis sibi notis è muro demissus est gladiolus, quo terram verterent, & ossa vestigarent: Exceptum famula vbi primùm humo impressit, eduxit mucrone cruento, erántq; in puluere sanguinis perspicua vestigia. Credidit incredula, quæ asseuerarat ex Sanctuarij ossibus, & fauillis minimè sanguinem erumpere, at verum, & recentem est intuita, & hoc tantum signum à Domino factum, omnibus affirmabat.

14 Ex partu in oppido ciuitate nuncupata de Anduxar honesta ægrotabat matrona. Osticulum ex Sanctuario, sibi adductum sub ceruicali papyro inuolutum reposuit, post dies tres acceptum, chartam notauit sanguine adspersam, ea amota nouam induxit, velóque ligauit. Hoc post aliquot dies soluto, charta omnis puro imbuta reperta est sanguine, ipsáque conualuit. Sed vberum grauit laborabat morbo, cinerum vnctione est sanata. Iisque ipsis puella domestica, quæ febri afflictabatur tertianâ, aquâ dilutis haustis absque mora conualuit.

15 In eadem ciuitate, quadriennis puellula periculoso suffocante oppressa erat morbo, tonsillis maximè inflammatis, & exulceratis. Solicita filiolæ mater fauces cineribus adhibitis Sanctorum curauit, quę eo nondum elapso die conualuit. Non multos post dies pusilla eâdem tentata est ægritudine, eóque ipso medicamine sanata: Tertiò similiter. Quartò demum cum cineres aquâ diluerentur: ex his sanguinis instar aciculæ apparuit fibra, quæ lethum portendit ægrotæ.

16 In oppido Pontificiensi, quod & Obulco olim dictum, nunc verò Porcuna, dum dentibus fæmina ossiculum vstulatum ex Sanctuario fregit, cruoris gustum sensit in gula, cúmque in manum expuisset vidit se non deceptam sanguine conspecto in vola & ossiculo.

17 In eiusdem oppidi conuentu Virgini Deiparæ purissimæ & immaculatæ sacro Monialis dentibus fregit ossiculum, internè cruentatum reperit, & miraculum credidit, & iurata deposuit.

18 In eodem oppido fœmina cineres, & ossium particulas sudariolo inuoluit, dum euoluit, notauit sanie infectum. Perluit illa, & in canistrum immisit, vt lixiuiæ mandaret. Sanies tamen illa contiguo hæsit aspero linteo, apparuítque, non vt sanies, sed vt recens purúsque sanguis.

19 Adolescens in oppidum Torreximeno, cuius ipse polita ex Sanctuario articulum & cineres attulit. Dum in bombicinum immittit sacculum, in illo sanguinis conspexit stillam, qui vocatis ostendit parentibus, ac animo deficiens præ admiratione cecidit. Vt autem se collegit, vidit plures, qui attentè articulum considerabant, stillámque illam auctam, ebullientémque incrementum sumere, ipsúmque ossiculum imbuere, atque omnes hoc tantum admirati sunt prodigium, Dominúmq; glorificarunt.

20 Ex Sanctuario fœmina pia domum in oppidum Escagnucla ossiculum adduxit & cineres: atque in spartea storea orbiculari, indigno sanè loco, deposuit & vase. Octo autem post dies, dum alia papyracea euoluit inuolucra, & illud, in quo cineres, idque sanguinis guttis suffusum offendit, quæ tres etiam papyri plagulas peruaserant.

Ad oppidulum Enzinas rabas: Illices quasi dicas raras, diœcesis Cordubensis, periculosè Stabularius suffocanti afflictabatur morbo: Vxor ossiculum ex Sanctuario viri inflammatis admouit tonsillis, ac sub eius ceruice inter culcitras constituit: Ille conualere cœpit, ipsa verò ossiculum inuisit, & sanguinem sudare adspexit, non loco motum viro ostendit, notant & considerant ambo magna cum admiratione, celeritérque Parochum euocari curant, qui & alij cum eo adueniunt, aduertunt omnes modicis primùm stillis, mox largo ossiculum cruento manare sudore, & vt quidam est ex illis testificatus, vt ouum igni applicatum solitum

sudare.

ſudare. At aliis viſum, & exemplificatum: veluti cum è calyce purpurea protuberat roſa, roréque perfuſa ſtillæ fluunt, non aliter ſanguinis puriſſimi guttas ebullientes largè fluxiſſe,& inferioris culcitræ linteum & tomentum humectaſſe iurati affirmarunt, omnéſque ſimul cœleſti magno cum oblectamento afflati fragrantiſſimo ſunt odore. Stabularius mox prorſus conualuit. Parochus vir prudens, & pius hoc motus miraculo oſſiculum & lintei, & tomenti partes cruore madentes cum ſcidiſſet,reuerenter & ciuibus comitantibus in ſacrarium intulit. Et probationibus negotium inſtructum ad Epiſcopum detulit,qui probauit factum,& oſſiculum cum ſanguine imbutis cuſtodiri iuſſit, & proceſſum Cardinali remiſit.

21 Ex Epora Fœderatorum olim oppido,nunc Montoro, Cordubenſis Epiſcopatus pia Vrgauonem adierat fœmina Sanctos veneratura Martyres, & ex oſſiculis, quæ ſecum adduxit, amicam conciuem participem fecit. Hæc datum oſſiculum viro oſtendit: Is acceptum irriſit, hoc, inquiens,canis, vel ex iumenti alicuius eſt exuuiis, illúdque comminuere tentauit, ſed vanè,nec ad parietem illiſum;ſed lineas in hoc duxit: Mox papyri plagula inuolutum in aquæ luſtralis penſilem ſed vacuam coniecit conchulam. Poſtera Dominica die ſolicita vxor parietem inuiſit, & ductas à coniuge lineas, animaduertit omnes ſimul tres digitos longas, ſeſquíque digitum latas,cruoréque perfuſas, & vndíque minutis adſperſas ſanguinis guttis, quaſi ab ipſo reſiliiſſent oſſiculo; Expauit mulier,inhorruítque coma, virum aduocat, qui tanto perculſus prodigio voluit, ac iuſſit celatum. At per duos ſanguis menſes ita recens & viuidus manſit, ac ſi tunc ex vulnere fuiſſet perfuſus. Rei euentus ſe manifeſtabat,nec omnes latuit. Conſpexêre plures, qui ad hoc veniebant ſpectaculum. Inter eos aduenit & matrona infantulam filiolam ſeſquiannum agentem manu ducens, vix fari puſilla & innixa incedere cœperat: Excepit mulier aduenientem vicinam, & familiarem hilari vultu: ad parietem, in quo cruentæ lineæ, adſident: Pupa nutu magis,quàm verbis,velum, quo tectus, alleuari petiit, eo ſublato, ſacrum exoſculata cruorem, brachiolis extenſis lætiſſimè parietem eſt amplexata. Genibus mox flexis pectori ſiniſtrâ admota ac dextrâ tundens, motis labellis incondito infrendens ſermone ad horæ quadrantem ſiue orans,ſiue Martyres alloquens perſtitit. Deinde ſurgens iterum oſculo,& amplexu,tenellum intimum hilaris declarauit affectum. Mirata fœmina animo præſagiit non diu puſillam ſuperſtitem futuram,matríque dixit, ſe maximè pupæ timere. Euentus verum probauit præſagium: nondum enim menſe elapſo tenellam infantulam tonſillæ exulceratæ,& corruptæ ſuffocarunt, ac ad eos, quos fuerat venerata Domino diſponente futura ſocia migrauit.

[a] Psalm. 8. 22 An hic cum Rege psalte exclamare non mihi fas [a]. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* Si Tv, tuorum es testium sors, laus, palma, corona, & præmium, qui illos honorant, laudant, & glorificant, & te vnà simul honorant, laudant, & glorificant. Te innocui lactentes non voce, sed nece infantes infantem collaudarunt, & confessi sunt: atque Ierosolymam ingredientem & in templo etiam acclamarunt pueri; At nunc tenella agnicula te in Sanctis venerata collaudauit, & glorificauit, vt eos erudias, qui thaumata non agnoscunt tua, & mirabilia tanta subsannant, paruulis reuelata, & à sapientibus huius sæculi, quorum sapientia stultitia est apud Te, ideò secreta, & abdita, intelligant, & desipere desinant, quiescántque increduli, & calumniatores. Atque sic inimicus, & vltor destruetur: obmutescere sanè faciet tantum hoc prodigium, quod non ab alio, quàm à Te; A te sanguis, à te pupa impulsa, vt nosset, osculúmque figeret, amplexaretur, & reuereretur. Homo celatum curauit, tu propalasti: ille clusum, tu promptum: atque testem veritatis produxisti, quem nemo improbet, aut arguat: nec prouocet, nec locum recuset vt suspectum: extra territorium, in quo non fraus, non dolus, non vis, non metus, non fautores, non amici. Omnes absque suspicione liberi, neutri propitij nec infesti; quódque amplius est, contra voluntatem lineas ducentis, & cum illudendi, & perdendi animo. Tuum perspicuè hoc opus, non humanum, aliis etiam signis à Te confirmatum. Pergas.

23 Iuuenis opilionem agebat Obulcone, religionis ergo Sanctuarium visitaturus cum amico Vrgauonem perrexit: Emendicata inibi ossium fragmina & cinericios typos ambo collegerunt, & inter se sunt partiti: Ille in ligneam intulit capsulam, & Obulconem regressus ante oppidi ingressum ad Crucem aperta capsula formam cum ossiculo recenti notauit adspersam sanguine, maximéque admiratus, ac censurarum metu, quas in eos, qui huiusmodi occultarent prodigia, latas inaudierat, Parocho manifestauit. Is manifesto, euidentíque conspecto miraculo, formam, & ossiculum in Sacrarium intulit.

24 Ab oppido Veas Vrgauonem iuuenis adiit, & ex Sanctuario duas costæ particulas domum attulit, vxoríque custodiendas tradidit: hæc vicinæ, & amicæ petenti fragmen dedit: vt autem fregit, cruoris visa erumpere stilla, quæ ossi inhæsit, & dilatata est. Inhorruêre turbatæ fœminæ; Adfuit & tunc ciuis notus, qui & particulam poposcit, mulier se huic dixit indignam ministerio, & fratri adstanti scindendum tradidit, qui scidit, & ex scissura sanguis erupit, ipsíque inhæsit ossi.

Plura

25 Plura in Hiſpania oppida, Alcala Arabico nomine indigitantur. Al articulus eſt inſeparabalis. Cala porrò propriè montis eſt cacumen, ſed etiam munitio, ſiue turris, aut arx in eo. Diſcriminantur autem ex adiunctis: Vti Alcala de Henares Complutum, Arcala de los Gazules, del Rio, &c. Alcala la Real in Bætica, olim Alcala de Abenzaide, & cum à Rege eſt expugnata, Regalis eſt nuncupata. Munitionibus, ſitúque munita, & inſignis ac Abbatiæ titulo clara, Giennenſis Epiſcopi Abbas ſuffraganeus magnis opulentus redditibus. Huius ciuitatis incola fœmina, vt plures aliæ, Vrgauonem feria ſecunda poſt Dominicam Reſurrectionis anni CIↃ IↃ XXIX. cum viro venit, in ipſo caſtro vetuſtus eſt puteus, qui vt non valdè vtilis, lapidibus, terra, & immundiciis obturatus iam diu fuerat, opus planè, & altitudine, & amplitudinis circulari forma ingens: Luminum vrgente inſinuatione illum eruderari oportere multorum fuit ſententia, iuſſitque Cardinalis; Acceſſit mulier vt, quæ agerentur adſpiceret, cúmque, qui operi adſtabant in ruderibus egeſtis fulgores notarent, nuſquam ipſa videre poterat, vidit tandem exiguum ſplendorem, quem lampyridis, ſiue nitedulæ exiſtimauit. Ac, en, inquit, non iſtæ luces, ſed lucentes ſunt vermes: At homo, minimè mulieri notus, ſcitatus, an ſpiceret, & colligeret, ſimúlque experiretur. Notauit illa, ac ne tangeret manibus ſimul cum terra accepit, & in gremium coniecit: Tactione durum offendit illud, quod fulgebat, & proiicere voluit; Vir autem is monuit, vt ſeruatum cuſtodiret, nec donum ſperneret. Paruit, & oſſiculum eſſe aduertit, & cum aliis ſimilibus charta inuolutis miſit in ſinum. In Sanctuario eâ excubauit nocte, &, iam concubia è pectore cæruleam vibrari aduertit lucem, cuius fulgore eodem colore ſubuculam clarè conſpexit; Expauit illa, timuítque ne quid malignum ineſſet, quia inferorum ſimilem ferunt, quaſi ex ſulphure huiuſmodi eſſe nitorem: Sed occurrit illi, quòd non vreret, & ſuauis afflaretur odor, à quo tamen oſſiculo iſta prouenirent non ſatis firmè diſcriminauit. Tacita vſque ad ſolis ortum perſtitit, & viro aduenienti oſſiculum oſtendit, à quo ipſa magis coniectura ſuſpicabatur lucem fuiſſe; Is alicuius iumenti dixit eſſe, & proiicere voluit: Sed illa ne faceret rogauit, & reſumpſit, & quæ ipſi euenerant, narrauit.

26 Regreſſos coniuges domum in Dominicæ Sanctiſſimæ Trinitatis peruigilio vicina amica inuiſit: cùm de aliis mutuò egiſſent colloquio, ac tum de iis, quæ Vrgauone acciderant, pia fœmina oſſiculum ſibi oſtendi enixè rogauit. Vir capſulam eduxit, in qua erat: Sed cum ſanguine redundantem, ſuauíque odore fragrantem inueniſſet, magna in eum irruit cum timore admiratio, & tremula exaggerabat voce ſigni granditatem, ingeminánſque clamabat, maximè admirandum ex oſſe arido,

& vſtula

& vstulato sanguinem prodire. Vocati plures conuenire, qui ex eo alleuato cruorem odoriferum fluêre conspexerunt. Tanti miraculi rumor breui ad multos etiam Ecclesiasticum peruenit iudicem. Ipso Dominicæ mane, cùm vir, vt confiteretur in Rosarij esset æde, in eius ædes Abbatis Vicarius cum presbyteris, & tribunalis officialibus venit: quia autem vir aberat, vxorem iussit ossiculum producere: Adduxit illa, atque etiam tunc sanguinem sudabat. Quod cùm iudex accepisset, sæpiúsque in omnium contuitu brandea tersui fuissent admota, & sanguinem exsiccasset, etiam manibus tractans, & ad solem vndique conspiciens ne vlla subesset illusio, nullam deprehendit: nam exterso, & exsiccato denuò sanguis stillabat. Demum candido, puróque inuolutum lineo velo in thecha sub claui, quam secum detulit, inclusum reliquit, ac discessit.

27 Vir ne sibi ea auferretur adeò pretiosa margarita, reserata theca eduxit, & argenteum circulum cum vitreis fieri curauit, & in eum inclusum, omníque solertia custodiebat, nam sanguinis effusio continuabatur. Et quandoque dum considerat ex huiusmodi ossiculo sic sanguinem erumpere, visum illi carnis palpitantis, & tumentis speciem referre. Notarunt & alij cùm sanguis effluueret, ossiculum tumescere, ad pulmonis similitudinem; ac si verè esset, acu transfigi: Sed posteà durescere, vt os propriè est, nec vllum in eo puncturæ manere vestigium. Ac tunc per octoginta circiter horas ipso cruore madidum, & irroratum mansit tantillum hoc prodigiosum ossiculum.

28 Presbyter pius, & religiosus eiusdem ciuitatis xenodochij, sub inuocatione Sacratissimi nominis I E S V, administrator oculatus, fidéque dignus testis, multa, magna deposuit à Domino facta signa adhibitis Sanctuarij cineribus. His námque aquâ dilutis, & haustis vltra centum & quinquaginta ægros sanatos, variis laborantes periculosis, & diuturnis morbis testatus est: ipsúmque ad octo millia tipos confecisse concricios, & diuisisse petentibus. Totidémque propediem facturum sperabat ex cineribus, quos ex Sanctuario adduxerat.

29 Is igitur in continuis illis horis, quibus cruor stillabat ex osse, frequentissimè magna cura, & solertia inuisit, & continuationem recognouit: Atque sæpiùs diuersis diebus sanguinem ex eo scaturire, & fluêre est intuitus: sed & mapulis tersit lineis, nonnunquam guttæ densatæ ipsi inhærebant. Liquorem etiam pinguem ab eo exire, & argentum, & vitrea inficere magna cum admiratione sæpissimè vidit, & notauit. Viderunt & notarunt plurimi.

30 Ex Carmelitarum discalceatorum cœnobio, quod in oppido Alcaudete situm, in ciuitatem Alcala venit presbyter, & concionator pius, & religiosus; vt huius familiæ sunt omnes, tum exemplo, tum etiam san-

ctitate

ctitate conſpicui, Magnæ Sanctæ Virginis Thereſiæ gneſij filij, & egregij imitatores, vt ille accepit, quæ de miro illo vulgabantur oſſiculo, cernere concupiuit, atque agente honeſtiſſima vidua eius nouerca, in ipſius ædes poſt meridiem eſt allatum. Vir canitie, & prudentia perſpicax in manu accepta pyxide, ipſam, & vitrea liquore lita pingui conſpexit: Exterſit, & vnum ex vitreis abſtulit, vt cum iudicio conſiderare meliùs valeret. Aduertit oſſis exiguitatem, quæ minimi digiti non excederet ſummam extremitatem, atque ex cranij cilio particulam eſſe, non prorſus ſolidam, ſed internè poris raram, Pyxidem apertam in manus palma conſtituit, Oſſiculum vidit ſiccum. Mox præter opinionem improuisò ſanguinem cœpit ſudare tepentem, & colore, & ſpecie purum, ſicut ab humanis elicitur venis. Ac ſi ex ipſis eſſet vaporem, ſuauiſſimum ex halare odorem clarè, manifeſtéque conſpexit. Aduertit etiam duplici micare ſplendore, qualis eſt nitedulæ. Velo cum terſiſſet ſubtili, iterum ſanguis erupit, ac duobus aliis velis exſiccauit: Cùm cruor ſtetit, & ceſſauit, coagulum ex eo in ipſo manſit. Hac motus mirabilitate piiſſimus religioſus, genuflexus Beatorum Ambroſij, & Auguſtini canticum *Te Deum laudamus*, alióſque hymnos in laudem Domini[a], *qui glorioſus in Sanctis ſuis: mirabilis in maieſtate faciens prodigia*, deuotiſſimè recitauit. Magno ſpatio nec minori cura & ſolertia cuncta notauit, & retulit multis audientibus Cardinali: & firmiſſimè aſſeuerauit, attentiſſimè circumſpexiſſe, & omnia non aliâ, quàm ſupernâ effici virtute, vt iam pridem iuratus fuerat atteſtatus. Exod. c. 115.

31 Multa alia Dominus in honorem Sancti Martyris cuius pignus hoc eſt, prodigia eſt operatus: quæ adhuc latent, ſilentibus qui nouerunt. Prodigioſum tot, tantíſque inſigne ſignis oſsiculum hoc Cardinali eſt allatum. Ipſe, & omnes in ea exiguitate ingentem Domini collucere virtutem admiratione ſunt venerati, & veneratione admirati. Vidi & reueritus ſuſpexi. Eius ex cruore purpureus color, ſed qualis is à Plinio deſcribitur[b], *Sanguinis nigricantis adſpectu, idémque ſuſpectu refulgens. Vnde & Homero purpureus dicitur ſanguis.* Circulus argenteus, & vitrea ſanguine, & craſſo imbuta cernuntur liquore, ſicut & alia oſsicula, quæ cum eo ibidem ſunt. Non ſcaturire vidi, ſed ſcaturiiſſe ex ipſo ſanguinem certiſſimò credo, nec qui piè conſiderauit abnuet. Lib. 9. c. 28. in fine.

32 Iuuenis agricola ex oppido non ignobili Llerena Vrgauonem venit, in expurgandis Sanctuarij ruderibus, non pretio, ſed religione, vt plurimi alij, cum cæteris operariis operam impendit. Incidit in oſsiculum, quod foſsionis oſtendit procuratori, qui dentibus fractum, & intus poroſum non contemnendum, ſed vt ex Sanctis cuſtodiendum cenſuit. Seruauit ſibi ille ea mercede omnes aduenæ, dites, & inopes laborare ſoliti. Se-

ceſſit inde iuuenis in Caſtellum de Lucubin, Cauponæ ibi, ad quam diuerterat, vt oſtenderet eduxit:at notauit cruentis rubere guttulis. Siluit, & in ſacculum miſit, & ad fœmur appendit,atque in eamdem ciuitatem Alcala perrexit, & abluto ſanguine fratribus,quorum vtebatur hoſpitio oſſiculum album oſtendit. Poſtero die duabus ante meridiem horis in latere, & fœmore, vbi appenſus erat ſacculus,ſenſit feruentem adeò ardorem, ac cauterio vreretur, ac ſenſibus deſtitui incepit. Surgens tamen vires excitans, in locum abiit, in quo ſecretus à cæteris, ſacculum eduxit, & ab eo oſſiculum charta inuolutum, & ſanguine imbutum, eóque euoluto notauit ex fractura cruorem vbertim fluere. Aduocatis ſociis oſtendit, quibus intuentibus, profluens chartam & ſudariolum ſanguis madefecit. Abbatis Vicarius auditum inquiſiuit miraculum, eiúſque diligenti diſquiſitione teſtibus comprobatum Cardinali remiſit.

33 Ruſticus etiam alius ex eodem oppido de Llerena Vrgauonem venit, & in Sanctuario cum aliis foſſoribus humum eruderabat. Offendit autem humanam tibiam, morſu ex ea particulam ſcidit nucis caſtaneæ, & magnitudine, & ſimilitudine, ac cum aliis oſſiculis ſibi reſeruauit. Eam tamen præ cæteris ſelegit eius captus ſuaui fragrantia, & in folliculum ſericũ villoſum pulli coloris immiſit, ac in pectore repoſuit:inde diſcedens cum aliis in itinere ſociis è folliculo eductum oſtendit. Perrexêre ſimul in oppidn las Cabecas Hiſpalitani Archiepiſcopatus. Dum in ſuburbano prædio operatur, in ipſo Beatiſſimi Iacobi Zebedæi vnici & ſingularis Hiſpaniarum Patroni peruigilio, quinta poſt meridiem hora æſtuare,& anxiari cœpit. In ſinum manum miſit,& ſanguine madentem recenti eduxit:Seceſſit inde,& remotus ab aliis nudauit pectus,an ictum ab inſecto vt cerneret. Se ſanum, è folliculo verò ſanguinis ſtillas fluere notauit. Oſſiculum eduxit, ab eóque cruorem manare clarè conſpexit, Sodales admirabilis ſpectaculi participes facit, omnéſque ſimul in oppidum iam ſole cadente profecti ſunt. Vulgatum per oppidanos miraculum plures commouit, vt intuerentur, intuitíque ſunt. Ipſo feſtiuitatis die poſt meridiem iuuenis viam capeſſit. Eâdem hora parochus de miraculi veritate certioratus,mittit, qui veſtigent, & quærant, & ad ſe ſiſtant; In itinere repertus trahitur ad Eccleſiæ veſtibulum, vbi eum Parochus, & ciues plures præſtolabantur,interrogatus iuuenis, quæ acciderant, iuratus refert, quæ acciderant. Profert, & folliculum cruore madentem, inde oſſiculum educit, quod tunc etiam ſanguinem ſudabat. Inſpicientibúſque omnibus ſtillæ fluebant ſanguinis, & terſis & ablatis ſanguinis continuabatur fluxus: paulò poſt ſtetit. Parochus, & qui cum eo inſpexêre fluentem & ceſſantem, indignum cenſuêre ab homine priuato os mirabile retineri, illúdque cum ſanguine in Sacrarium eſt inlatum. Ac

teſtium

testium depositiones ad Superiorem Hispalin sunt remissæ, & earum autentica copia ad Cardinalem.

34 Vrgauonensis ciuis amico Granatam aliquot Sanctorum cinerum sigillatas formas misit, hic eas inter vxorem, filios, & domesticos diuisit: Ancillę verò integram & dimidiam dedit, hanc noluit, sed heri filiæ reddidit. Hæc autem libenter accepit, & in thecula reposuit: Eam verò pater aperuit, fragménque adspicit ebullientem sudare sanguinem. Magna perculsus admiratione familiam euocat, & prodigium ostentat, ac sutili Camaracensi velo cruoris cadentes excepit stillas: Quas & iudex iubente Cardinali Archiepiscopo, & Notarius se vidisse, & in typo vestigia vnde illæ eruperant factis probationibus sunt attestati.

35 Cordubæ Patritiæ coniuges ciues debilibus ambo cruribus, & artubus, nec se induere, nec in lecto mouere, ne dum ambulare valebant. Auditis Vrgauonensium Martyrum mirabilibus pari se voto adstrinxerunt, eorum quamprimùm possent Sanctuarium adituros. Vir senio, morbóque consumptus obiit: at Vidua duos post menses, graui vexata dolore, laboréque non minore iumento vecta est Vrgauonem, baculo, & adducenti innixa Sanctuarium est ingressa, in eóque mansit, secundóque die salutem integrè consecuta gratiis actis domum sana rediit, secum nonnulla emendicata attulit ossicula. Post duos autem menses filia mammillarum dolore adeò afflictabatur acerbo, vt mentis non esset compos & deliraret. Adhibita à chirurgo remedia nihil proderant: Vir eius Martyrum leipsana reuerenter oculis, ori, & mammillis admouit, eáque tactione subitaneam est salutem assecuta, nec deinceps dolore, nec delirio est tentata. Chirurgus cum incolumem offendisset in ipso domus aditu, miraculum euidens credidit.

36 Vtriúsque coniugis infantulus quadrimestris non multos post dies in ipsa Purificationis solennitate, morbo est occupatus suffocante: Tonsillis inflammatis sugere non valebat, nec per integrum suxit diem, & medicamenta inutilia in pusillo; Iámque moribundo pater ossicula sicut vxori admouit ori, oculis, & collo. Mox quasi rediuiuus papillas promptè appetiit, & labella infixit. Postridie visus est arridere; tunc mater, & auia intellexêre pusillum sanum solo reliquiarum tactu, accurrunt simul vt eas venerentur, & gratias, Domino, & Martyribus agant. Thecâ reseratâ offendunt eas sanguine delibutas, & cruoris guttas fluentes adspiciunt; Stupefactæ tanto signo clamore vocant domesticos, qui viderunt, & testati sunt Episcopo præsente, qui delatum miraculum quatuor sibi adsidentibus Theologis comprobauit certissimum, ac theca cum ossibus cruentis, & ipsa sanguine adspersa illis fuit exhibita sexta Februarij CIↃ IↃCXXX.

37 Multa & alia similia signa occulta latent, celantibus, quibus nota & comperta ne ab eis Sanctorum pignora auferantur: ideò pluribus deferentibus permittuntur, ne alij sileant, silent tamen, cum nullatenus deberent Angelica Raphaëlis gnome: *Sacramentum Regis*, arcana nimirum mysteria *abscondere*, non reuelare, sed occultare, *Bonum est*, optimum, & debitum, viróque bono dignum: *Opera autem Dei reuelare*, prædicare vti magna, omnibúsque proficua enuntiare, & ad omnium notionem proferre, *& confiteri*, laudibúsque prosequi, & glorificare *honorificum est*. Domini gloriam amplificat, & honorem, qui eius cunctis enarrat mirabilia. Præclarè Pontifex Stephanus: *Sicut nemo se debet iactare de suis meritis: sic non debent opera Dei, quæ in illo per suos Sanctos fiunt, sine suis meritis sileri, sed prædicari, sicut Angelus admonet Thobiam.*

CAPVT XXX.

Breuiculum eorum, qui Sanctorum Martyrum intercessione à variis sunt morbis sanati.

1 MOrtalis mortalium conditio omni miseriarum quodam quasi immani quatitur turbine. Non absque dolore & alienas, & proprias audimus, & patimur ægritudines: Ingruunt, & irruunt, & debiles, & robustos deiiciunt, & consumunt, at indulgentissimus Dominus, vt Pater benigniter benignissimus tum naturæ, tum medelæ opera, & ope deiectos erigit, & languentes extollit. His auxiliis morborum impetus, quibus misellum atteritur corpus, temperat, & coërcet, quum autem illa deficiunt grauiter affectos, omníque humano destitutos remedio sæpè suo orbari non sinit, & seruorum suorum suffragantibus meritis plurimos desperatos, & etiam vitalibus priuatos auris ad eas, salutémque reuocat. O Diuinam philanthropiam numinísque clementiam immensam! Nouit ipsa figlinum figmentum nostrum, multísque, ac magnis fulcit fulcris: ac ne quassum succumbat manu supposita subuenit. Subuenit sæpissimè Sanctorum suorum precibus, vt cuius meriti apud se sint manifestè declaret. Declarat & nunc Sanctos Martyres Vrgauonenses, quorum intercessione, multa, magnáque quotidie signa facit, & his cæteris suis seruis non impares manifestat, quibus hanc sanitatis gratiam contulit.

Sacerdos pius, & religiosus, vt superiori scripsi capite asseruit iureiurando adstrictus centum quinquaginta variis afflictatos morbis Sanctorum Martyrum inuocatione, & eorum haustis cineribus sanatos. Si paucis Alcalaensis Abbatiæ oppidis hic numerus, de vniuersa Bœtica innumerus,

merus, eſt - Non certè eſt, quocumque ieris, qui ſe aliquod à Sanctis accepiſſe beneficium non ſeriò aſſeueret: eorum famâ ſicut populorum Vrgauonem confluxit multitudo, Domino impellente, ſic & miraculorum eſt, quibus ipſe ſuos illuſtrat Martyres. Plurima ignorantur, quæ probationibus nota ſcribo.

2 Vrgauonenſis fœmina tertianâ vexabatur, ardenti exuſta, rigoréque decumbebat concuſſa: intellexit puellam ſimili vexatam morbo, & oſſiculis ſanctis admotis liberatam. Ab eius matre particulas petiit; Datas Sanctis inuocatis è collo ſuſpendit; Ea ipſa nocte, quâ diram ſperabat acceſſionem, non eſt paſſa, ſed libera quietè ſoporata, non amplius eam afflixit.

3 Eodem ſed grauiori conflictabatur morbo ciuis etiam Vrgauonenſis: Rigor cum febre quotidianus, Cinerum & ſanctorum pignorum particulas cum primùm ad collum appendit, ſéque Sanctis commendauit, minorata acceſſio eſt, cùm tribus antea ſeptimanis in lecto decubuiſſet nulláque adhibita remedia profuerant; His abdicatis ad hoc confugit, quo ad priſtinam eſt reſtitutus ſalutem.

4 Grauida quædam mulier cum multis aliis erat in ipſa turri Sanctorum, vt ſolitæ plures in ea & mœniis perſiſtere proſpecturæ, quæ in Sanctuario agerentur: Collapſa eſt illa, ſed puluis, & glebulæ hominem, qui ſubtus erat, monuêre, vt oculos eleuaret, & collabentem ſpiceret? Excepit eam ille, ambóque illæſi, & incolumes euasêre, nec ſine miraculo, propter turris altitudinem, & cadentis pondus, quod vtrumque contriuiſſet.

5 Giennenſis publicus tabellio Vrgauonem profectus, eo ipſo tempore, quo ſacræ Martyrum eruebantur exuuiæ, & cineres: ex iis particulas accepit. Dum domum regreditur, in ipſo municipij egreſſu, in genu dolore corripitur graui, eóque ingraueſcente intumuit genu eo exceſſu vt vbi domum peruenit in lecto decumbere fuit coactus. Occurrit illi in eum incidiſſe morbum, quòd contra prohibitionem ſub anathemate aliquot ſibi exuuiarum vendicaſſet fragmina, ac mox ſe voto damnauit, quàm primùm oblata occaſione reſtituturum, Sanctíſque ſimul ſe commendauit. Nec mora, dolor, & tumor receſsêre, & crus mouere cœpit, ac ſi in eo nihil fuiſſet paſſus. Hoc motus prodigio per amicum virum nobilem, quæ abſtulerat, Vrgauonem remiſit.

6 Hic autem cum Giennio Vrgauonem pergeret, obuius illi oppidanus de Cambil familiaris, & notus ſalutatum percontatur de itineris cauſſa, refert ille, & quæ contigerant tabellioni. Ex cineribus exiguum puluerem ſibi erogari rogauit, & erogauit, & petentis religione, & paruitate rei commotus. Cambilenſis domum ingreſſus ardenter febricitanti

filio cineres applicauit, quibus vis morbi depulsa sanitatem est consecutus.

7 Vrgauonensis ciuis graui correptus tumentibus tonsillis est febri; Monuit eum amicus, vt se Sanctis commendaret, & scriniolum, in quo eorum erant reliquiæ attulit. In ipsum æger caput misit reuerenter, & eorum opem deuotè implorauit: quo facto cœpit conualescere, & ab infirmitate, & phlebotomiâ, quam fieri medicus iusserat, simul liberatus est.

Morbus suffocans, vulgò garrotillo.

8 Nouennis puer gemino periculosissimo erysipilatico, & suffocante consumptus morbo, vultu turgido, vlceratis tonsillis triduo nil prorsus deglutire valuerat, adeóque debilitatus, vt venæ sectionem, qua maximè indigebat, & plurimùm iuuaretur, ne deficeret, Chirurgus non ausus est adhibere: Desperata prorsus salute sacro inungendus erat oleo. Mater solicita, ea nocte filio, humanis remediis destituto, cœlestia comparauit. Sanctorum cineribus vino dilutis Dominum, Martyrésque deprecata puerum monuit, vt iis auxiliis fideret, sanitatem esse consecuturum, eiúsque colli, oculi, & faciei tumores inunxit: quibus ille fotus quiescere cœpit, & placido soporatus est somno; Experrectus ab vlceribus maligna febri, & inflammatis inflationibus liberatus, cibum postulauit, quo sumpto omninò conualuit, & gratias Deo, & Sanctis, & mater, & filius egerunt. Miraculum omnibus sicut notum, sic ingens visum, ac si iam vita functus reuixisset.

9 Mulieri Vrgauonensi sinistrum crus, & genu inturserant, & dolore vehementi diu noctúque vrgebatur, nec ambulare per mensem potuit, donec ab amica monita sacros cineres in manu sputo maceratos illis imposuit. Postera die eodem vsa remedio, crus & genu sana prorsus fuêre, nullo nec antea, nec posteà adhibito medicamento.

10 Malignâ, putríque febri internè Vrgauonensis vrebatur ciuis, quindecímque decubuerat dies, nulla vitæ erat spes medico, qui ad supernum efflagitandum remedium hortatus est ægrum: atque vt extremum, & efficax illi osculum, & cineres è sanctuario præbuit. Domestici inuolucro circumligatos adhibuerunt, & sacrosanctæ Missæ sacrificia in eorum honorem Domino offerenda vouerunt; Postera die in sancti Martini æde celebrata sunt. Tunc infirmus meliùs se habere sensit, & cibum appetere, quem antè exosum magnoperè fastidierat: Demum prorsùs conualuit.

11 Stomachi acerbus dolor fœminam vrgebat: quatuor dies, & noctes præ vexatione insomnes transegerat, nec cibum gustabat, & si aquam hausisset, vomitu eiiciebat. His malis, & cordis cruciatu anxia, ad Sanctorum confugit opem impetrandam, & ex eorum Sanctuario terram

popoſcit;

popoſcit: Pius pater attulit, aſſeruítque ex interiori cranij nuper inuenti parte acceptam. Eam illa aquâ dilutam, Sanctorum Martyrum nomine inuocato, hauſit, atque iuxta opinionem improuisò à doloribus, vomitúque liberata eſt, nec illis ampliùs tentata.

12 Poſt aliquod tempus, eadem cùm ægrotaſſet fœmina à medico curata, & pharmaco cathartico recens purgata manè è lectulo ſurrexiſſet aëris intemperie hemiplexia eſt afflictata: Neruis laxatis, oris, & oculi ſenſum pariter & motum lateris alterius morbus eripuit. Multa illi comparata remedia nil profuerant, iterùm ad Sanctos profugium, primáque illa terrâ, quâ ſanata fuerat, aquâ dilutâ oculum ósque diſtortum per octo dies vnxit, atque ab ea moleſtia liberata eſt.

13 Ventris profluuium cum acerbo dolore fœminam vexabat, illámque quodam die adeò afflictauit, vt magno ſudore, & anguſtiis ſe mori exiſtimaret, eámque noctem inſomnem duxit, & vomitu terno miſerè cruciata eſt. Iámque ſe in in extremis cùm laborare videret, Sanctorum meminit, iiſque inuocatis, eorum fauillas vino temperatas hauſit, quibus epotis, ſe ſanatam ab omni ægritudine ſenſit.

14 Infectabat quotidie rigor cum febri continua fœminam menſe integro, periculum vrgebat. Vicina & amica cineribus & aqua potionem temperauit: hauſta ante acceſſionem eam arcuit, & ſalutem eſt conſecuta.

15 Morbus malignus mulieris fauces torquebat; fauces inflammatæ per tres dies & turgidæ: Collum illa ſacris cineribus defricauit, Sanctis Martyribus inuocatis illicò & inflammatio ceſſauit, & ab ægritudine liberata eſt.

16 Ancillulam octauum annum agentem tonſillis vlceratis morbus ſuffocans in oppido Argionula malitia & contagio lethiferus preſſerat, iiſdémque indicamentis ægrotatio vrgebat, quibus non multos ante dies eiuſdem heræ ſeruus occubuerat. Quinto die deſperata ſalute audiit puella Sanctorum Vrgauonenſium mirabilia referri, efflagitauítque ſibi ex eorum reliquiis particulam præberi; Hera dixit in promptu eſſe cineres cum carbonibus, & ſumeret deuotè, ſalutíſque fiducia Sanctorum interceſſione. Infirma rogauit vt Apoſtolorum ſymbolum ſibi recitaretur: Hera tertiò, & eius mater ſemel recitarunt, & poculum cineribus aquâ mixtum propinatum exhauſit. Morbi, febríſque malignitas vltra progreſſa non eſt: ore, & naribus purulentam eiecit ſaniem, mox quaſi nihil paſſa ſana remanſit.

17 Lethalis idem morbus triennem occupauit infantulam: Ventris acuto dolore, vomitu, & profluuio miſerè magno cum periculo vexabatur. Mater anxia quòd omnes, qui eiuſcemodi accidentibus Vrgauone correpti,

repti fuerant, obiissent, medicamenta quærebat: Sed amicarum consilio cineres aqua temperatos collo apposuit, hora noctis secunda, qua ægrotatio magis perurgebat; At statim meliùs se habere cœpit, & manè reperta sana surrexit, ac si nihil pertulisset.

18 Ad pugni crassitudinem mota caro excreuerat in genu viduæ oppidi Argionulæ: (prouenerat autem ex magna collapsione,) per sex circiter menses, acríque simul dolore cruciata est. Medici, & Chirurgi pluribus comparatis remediis nil profuerant, visum illis incassum curari; At adolescentulæ virginis suasione tumori cineres Sanctorum, ipsis inuocatis, aqua maceratos, quasi pretiosum adhibuit vnguentum, quod triduo circumligatum sustinuit. Ac Sanctorum meritis cœpit conualescere, iterùm eodem medicamine vsa ante octauum diem, tumor ille carnis motæ euanuit resolutus, ac penitus genu sanatum.

19 Rheumatismo fœminam affectam, cætero quæ sana esset, grauissimus occupauit cum febre rigor, adeò violentus, vt omnes eius artus concuterentur, iam mortem sibi instare existimauit: Meminit tamen se osculum habere ex Sanctorum pignoribus nuperrimè erutis, magno affectu, & religione se Martyrum orationibus commendat, ac è collo suspendit illud: nulla mora, mulier sanata statim est.

20 Ex muro castri Vrgauonensis ad horologij turrim lactens pupa, octodecim menses nata præceps lapsa, caput terram depressit. Accurrit vir, & defunctam credens extulit sanam absque vlla læsione, quæ incepit lachrymari, delatam in domum mater lactauit, & in sinu obdormiuit, & experrecta lusum abiit. Magno id tribuêre testes miraculo, Sanctorum Martyrum id credidere meritis patratum, vtpote iuxta ipsorum Sanctuarium.

21 Per quindecim annos ciuis Vrgauonensis permolesta laborauerat ruptura, per eam intestina defluxerant, quæ nunquàm vllo potuit modo, in ventrem inferre. Post inuentionem Sanctorum Martyrum, illis per duos menses singulari affectu se commendabat, & eos deprecabatur. Cùm autem nocte quadam in lecto deuotè orasset solito feruentiùs, obdormiuit, & experrectus liberum se sensit, & sanum, quasi nunquam fuisset grauatus huiusmodi morbo, ac Domino, & Sanctis eius gratus miraculum confessus est, cùm antea occultasset, quia coniugatus, ægrotationem.

22 Lateris sinistri peracutus dolor cum febri continua Decurionem Vrgauonensem inuasit: Somnus aufugerat, medicamenta non iuuabant; Medici, & euocatus etiam satis peritus è Pontificiensi oppido, illum Sacramentis muniri, testamentum facere iusserant. Anxia, solicitáque vxor hominem pium ad Sanctuarium adstare solitum euocari curat,

ac thecam

ac thecam, in qua Sanctorum condita erant ossa, ad infirmum deferri rogat: Attulit, ínque eam caput æger immittit, ac se Sanctis commendat, ac ossis fragmen manu apprehendit quod nunquam nisi vrgentibus caussis dimisit. Sed & vxor cineribus sacris aquâ tepidâ dilutis latus vnxit, vbi dolor erat, qui humerum occupauit, & eum inunctam reliquit, & abiit in costas, iis etiam vnctis media circiter nocte sanatus est, nihílque incommodi deinceps sensit, ac in Sanctuarium ambo coniuges perrexerunt, memores tanti beneficij accepti, vota soluerunt.

23 Bandophorus ante triginta annos quum militaret minutis plumbeis globulis, sclopo disploso vtrúmque crus est vulneratum; illis eductis, vlcera manserunt: multa comparata remedia his minimè profuêre. Ex medici consilio Mantuæ Carpetanæ cauterio inusta tibia, vt humor ille, qui in vlcera influebat, ad nouam diuerteret plagam: sed incassum, cùm per nouem sustinuisset annos; quoties autem iter agebat, crura intumescebant, sanies tibialia fœdè inficiebat, molestissimáque illi erant vlcera, Chirurgi & Medici inueterato malo nullum profuturum remedium affirmabant. Profecturus Llerenam, ex cineribus primæ inuentæ Sanctorum fornacis, & saliua vnguentum fecit, & linteo sinistri cruris vlcera, quinque ligauit, ac iter sine dolore, & tumore peregit, & regressus Vrgauonem eligauit linteum, & vlcera sana vidit. Imposuit idem remedium dextræ tibiæ, & sanus euasit.

24 Largus sanguinis fluxus Medicum in oppido Pontificiensi Porcuna per viginti quatuor horas debilitauit, iam morti propinquus extremo inunctus oleo, Dei magis quàm hominis operâ est liberatus. Post biennium, ex dextro narium hiatu eadem magno impetu fluxio incepit: Vxor omnésque domestici periculo antiquo repræsentato turbati, & contristati sunt maximè: illa verò accurrit ad Sanctorum Martyrum Vrgauonensium implorandum auxilium, ac ex subuculæ chordula osiculum eorum appendit; subitò sanguis stetit in foramine concretus, vidítque ipse vsque ad ipsum osiculum exiguum bis cæruleum descendere fulgorem, vti è lucerna labitur.

25 Eumdem Medicum dextri renis vehemens oppressit dolor, lotiúmque inhibuit, & suppressit, adeóque acutè pũgebat, vt magnis clamoribus querulè quiritaret. Vxor medicamina certa, & nota celeriter præparat, & in vase cineribus Sanctorum aquam miscet, & ægro propinat. Eâ haustâ dolore maiorem est exagitatus in modum, vt se è lecto deiecerit, at soluta exiliit vrina, vnáque duo calculi sunt emissi. Post modicum tempus duos similes etiam expulit, vnum fuisse in quatuor diuisos visos notauit, omníque ægritudine liberatus miraculum cum gratiarum actione vtrúmque confessus est: addidit & tertium.

26 Medebatur idem fœminæ, quæ iugi iactabatur febri, accessioni crescenti,& decrescenti, Catharticam porrigere potionem decreuerat:inuisere tamen statuit pridie, vt ex habitudine iudicaret. Inuisit, & inuenit sanctis cineribus cum aqua epotis purgatione exacta ab ægrotatione liberam, quod sine eximio miraculo non credidit actum, & iuratus testificatus est;Id ipsum attestata est infirma,atque potionem ipsam sibi fuisse gustu,haustúque suauissimam,& odoriferam.

27 Addidit insuper & ipsa cùm grauissimo hemicranio, vulgò exaqueca, capitis dolore premeretur,ad sinistrum appendisse tempus osficulum ex Sanctuario,illicóque liberatam sensisse.

28 Graui continuâ consumptus febri in idem Pontificiense oppidum adductus est puer annos natus nouem : Herus, cui inseruire debebat, aptiorem illum sepulturæ, quàm vlli ministerio iudicauit. At illius soror ægri misserta, in eius immisit os ex prima fornace, cinerum particulam,& aquâ deglutire fecit; Postero die puer sine febri inuentus, è lecto surrexit,& cum coæuis lusurus lætus & sanus abiit.Quod vt erat miraculum herus,& soror testati sunt.

29 In eodem oppido puella morbo suffocante premebatur,& de eius salute Medicus desperarat:sed huius coniux Sanctorum Martyrum suffisa meritis, vti sæpiùs fuerat experta, amygdalino præparato sorbillo cineres immiscuit sacros;Sumpsit ægra, & notauit illa è collo, faucibúsque inflammatis tumorem sensim euanuisse, & sequenti die sine vllo fuit incommodo,ac cibum vti sana accepit.

30 Eodem in oppido Porcuna,Præposito monialium ex sacra Prædicatorum familia pustulæ in oris circuitu, & vtráque menti parte per biennium solitæ sunt efflorescere:In earum curatione sicut causa medici non consentiebant, varia adhibita medicamenta, sed vana, aliquando his auctæ; Aeger Sanctorum Martyrum cognitis, quæ fama vulgabat, miraculis,illos inuocat, ac vouet in eorum honorem sacrum Missæ sacrificium celebraturum.Promissio facta facta quarta,& quinta sequenti feria in Cœna Domini à molesta ægritudine conualuit, neq vltra incommodum passus est:soluítque gratissimè votum.

31 Religiosum eumdem profecturum ex oppido Xeræ, vulgò De la Frontera, in hoc Pontificiense, agina oppressit,ad Sanctos accurrit,& tertia ante auroram hora eorum cineres aquâ dilutos hausit, nulla interiecta mora sanatur,ac iter progressus faustè peregit.

32 Toleti pridie Nonas Maij CIↄ IↄC XXIIX. Don Philippum Centurionium & Corduba Astappensium Marchionum filium & fratrem, sanctæ Ecclesiæ Toletanæ Hispaniarum Primatis Canonicum, ac Serenissimi Ferdinandi Cardinalis Infantis Archiepiscopi Toletani à

cubiculo

cubiculo feruida occupauit coryza. Eâ ingrauescente, illum maligna, iugísque febris oppressit, binis, trinísve quotidie rigoribus concutiebat, quibus adeò est consumptus, vt de eius salute desperarent Medici. Maximè ventris ingruente profluuio, & humoris putris grauis ponderitas in imas clunium partes profluxit. Malum hoc occultum Medicos latuit; Accersitus Chirurgus citissimè secari clunium alterum censuit oportere, & secuit; ex sectione purulenta erupit sanies, vnáque & lotium. Erat fistula ex eius via confecta, sic deinceps omissa communi; emissum illud per hanc est.

33 Ægrum hac quasi malorum concussum conspiratione Gonorrhœæ spurcus inuasit morbus: sic à Medicis vocatus, quòd à naturæ, & potentiæ recentiuæ debilitate, vti [a] Galenus docet, absque patientis voluntate sperma fluit. Seminis fluxus in sacris dicitur literis. Quo considerato Medicus primarius Complutensis magno iudicio, & peritia vir existimauit omnes ægrotationum vires in eas incubuisse partes, ac plurium arte, peritia, & experimentis curationem indigere. Diuturnum ex indicamentis malum, ideò insanabile visum. Licèt enim febris à solito aliquando ardore efferuesceret, propter inhærentem continuationem; & gonorrhœæ, ac fistulæ fluxiones metuendum maximè credidit periculum. Ægroto, si salutem consequi velit Madridium se conferat, vbi magna nobilium Medicorum copia persuasit, his, aliísque adductis rationibus.

a Galenus lib. 6. cap. 6 de locis affectis. Leuit. cap. cap. 15.

34 Hoc motus consilio infirmus lecticâ vectus laboriosa morbi grauitate pressus Madridium perrexit, séxque maioris nominis & peritiæ Regios Medicos, duósque Chirurgos adhibuit. Ab his magno & artis, & experimenti studio solicitè curatur; Omnia tentantur, ac opportunis aguntur medicamentis: frustra tamen impensus labor, eúmque omninò elusum censent. Febris continentem languorem gonorrhœa incitabat: vt iam ardentior & perpetuus timeretur, ac arteriarum pulsus nonnumquam intercidere, & inæquali percussu laborare à Medicis cognitus est. Monenthi periculum maximè imminere: ac disponat, quæcumque lethali iam instanti occasione, vti ille sciret, deberet. Deplorata & desperata salus in angusto extremóque statu res erat.

35 At cui Diuina, humana vbi deficit industria, misericordia fauet, Marchionis de Camarassa, & Comitis de Ricla, (Philippi leuir ille, & hic nepos ex sorore sunt) domesticus œconomus Vrgauone ortus, ipsi ægro Sanctorum Bonosi, & Maximiani, & aliorum Martyrum nuperrimè inuentorum prodigia immensa refert, quantáque Dominus per eius cineres ederet in dies miracula, precatúrque se eorum orationibus commendet, illísque vtatur, & ex his, quas dixi, typicam profert formam. Ille annuit libenter, atque cum per duos menses Galeni vnguento infrige-

ranti (sic dicitur à Medicis) renes fuissent incassum inuncti, iubet deinceps illi, aliísque medicamentis, (plurima erant) sacros adhiberi cineres, nil sibi sine his apponi; Eáque illi erat cura, ac quotidie bis, manè & vesperi precibus deuotis se Sanctis commendare, & voto se illorum inuisurum Sanctuarium, damnauit, si salutis compos existeret.

36 Ex insperato Sanctorum auxiliis numine disponente certum attigit spei, immò salutis ex procellosis ægrotationum fluctibus cothonem, ac celeriter conualescere cœpit. Gonorrhœa inhibita retentiua potentiâ redditâ disparuit: Fistula suppurata suppressa, & compacta communi vrinam restituit viæ. Vires resumit, qui omnibus carebat, ac non differenda vota, sed quamprimùm soluenda decernit; Vrgauonem lecticâ vectus proficiscitur, non grauat, sed leuat iter, & peragit lætus. Iam vegetus, & valentior per cliuum arduum sine difficultate in oppidum pedes ascendit. Quarta Idus Maij anni superioris CIↃ IↃC. XXIX. Per horæ quadrantem sedere fistula prohibebat; Sed eâ resolutâ liberè plures assidet horas; Crebra singulis horis bis vrina vrgebat, at ad ternas, & quaternas citra fastidium supprimitur.

37 Vt peruenit Vrgauonem Sanctuarium vti in via primum Sanctorum repositorium olim indignum, nunc frequentibus crucibus, & fidelibus adprecantibus celebre inuisit; Adprecatur cum aliis; inde ingreditur arcem, & templum, Sanctissimam adorat EVCHARISTIAM, Virginem Sanctissimam Deiparam MARIAM salutat. Mox secretarium intrat, ac sancta leipsana condita veneratur, agit gratias magna cum religione, vt par erat cuncta exequitur.

38 Postera die eodem officio functus sanctissimam Missæ synaxim deuotè celebrat in honorem Sanctorum Martyrum BONOSI, & MAXIMIANI, glorificans Altissimum, qui eorum intercessione sanauerit ipsum: iterùm ad sanctuarium accedit, turres, fornaces, & effossiones notat; Hilaris, quæ acceperat beneficia testatur iuridicè, séque voti reum declarat. Argenteam lampada debere Sanctis, quamprimùm sese soluturum gratissimè fatetur.

39 His àctis, Astappam pergit, post tres menses Vrgauonem regreditur, lampada perpulchram argento grauem offert, ac dotat, vt semper ardeat, & fulgeat, ante sacratium dum sacris cineribus hunc cultum sancta non decreuerit Apostolica sedes, postmodùm Sanctorum esse sic, & Domini, ad cuius gloriam vniuersa spectant, & debentur.

40 Paruulam biennium non excedentem collapsa crates ferrea contriuisset pondo CCL. ni Sanctorum exuuiæ collo appensæ à periculo fuissent tutatæ. Erat illa in secundo vestibulo ædium paternarum Giennij: & cùm declinasset ad fenestram, cecidit ea cum crate, & ligneis foribus

transuer

transuersam oppressit. Ruinæ fragor patrem virum nobilem euocauit, qui filiam sine halitu, ac quasi vita functam vidit; Ocyssimè remouetur fenestra, & pupam erigit, sanam, illæsam,& incolumem sinu fouet. Miratur hic,mirantur & domestici omnes, miraculum recognoscunt Sanctorum Martyrum meritis.

41 In Giennensis Episcopatus ditione oppidum est haud ignobile,à lini fœcunditate Linares dictum,non longè ab vrbe,olim insigni,nunc diruta,Castulone.Puella ibi sex annos nata morbo suffocante,& apostemate in collo angebatur: eius patruus ex Sanctuario attulerat osiculum, & infirmæ dedit,quæ appendit ad latus ægrum,& cùm obdormiisset,manè inuenta est sana.

42 Per quatuor continuos annos mulier Eporensis (Montoro) in dextro aurium, & narium latere morbum fuerat passa,quem Medici insanabilem perhibent, prohibéntque attrectari, tactione recrudescere; Cùm plura tamen adhibuisset medicamenta, sententia Medicorum vera est comprobata. Illi vicina sacros ex Sanctuario cineres præbuit, quos magna susceptos fide,& inuocatis Sanctis aquâ & saliuâ maceratos languentibus imposuit partibus.Post tres dies abluta facie, & cineribus ablatis,à deformi,molestáque ægritudine liberata est.

43 In oppido Anduxar, Anna Morales Ildefonsi de Castilla vxor,domi alebat Marinam Garciam.Hæc debilibus fuerat orta cruribus,eorúmque altero confracto, clauda adhuc paruula difficulter gradiebatur:ante septennium adeò imbecillis, vt nisi duobus suffulta scipionibus sub brachio, & in manu se mouebat. Post quadriennium nullo poterat iuuari fulcro, vt ex cubiculo, nedum habitaculo exire valeret, adeò vt sacrosancta illi deferretur EVCHARISTIA in Paschalibus, aliísque diebus,cùm sumere oporteret,templum adire nequibat. Anna Sanctuarium mense Decembri CIↃ IↃC XXIIX. adiuit, ex eóque sanctos cineres attulit, his coxas, crura, & genua deuotè quasi vnguento perfricuit, & ea ipsa catax & debilis: Nulla mora improuisò exilit infirma, magnis vocibus percurrens clamat: Sana sum à Sanctis liberata. Atque deinceps ministeria domestica exequitur, pergit in templa, genua flectit, tanquam nullum incommodum sentit, cum ab ortu tantum passa fuisset.

44 Ibidem eadem Anna Morales ex his ipsis cineribus viduæ surdæ petenti in aures puluisculum immisit,quæ statim cùm nulla antea medicamenta profuissent,auditum recuperauit.

45 Ea ipsa Alfonso deel Castillo, cui lateris sinistri erupto peritoneo intestina in scrotum deciderant, nulla remedia profuerant, vt etiam ex pedibus fuerit suspensus, cineres sacros linteo perlitos, eóque ligari consuluit.

ſuluit. Quo facto æger lætus acclamat inteſtina in priſtinum reſtituta locum, ſurgit, nec ampliùs lapſa ſunt.

46 Ilij acuto vehementíque dolore in villa agricola premebatur, his ſumptis cineribus ſanatus, & alij tres liberati à febribus tertianis, quibus grauiter infirmabantur.

47 Eodem in oppido XVI. Kalendas Maij, cIↃ IↃC XXIX. Donna Eluira Nuneſia de la Cueua, vxor Didaci de los Rios grauiſſimè morbo ſuffocante periclitata eſt. Tonſillis inflammatis, & vlceratis, & apoſtemati in colli dextro latere plurima comparata ſunt remedia: ter venæ pertuſæ, ſed morbus febri maligna ingraueſcebat inſtigante; quarto die acerbiſſimè angebatur, mortis multa indicia & argumenta tum pulſu, tum etiam in cæteris corporis membris, nil deglutire, oui vitellum magna cum difficultate, & doloris non integrum vorare potuit: eáque nocte adeò oppreſſa fuit, vt cucurbitas vitreas ad ſanguinem, peſtiferúmque humorem foras eliciendum appoſitas non ſenſerit, maximis afflictata, anxiata anguſtiis vſque ad tertiam ante ſolis ortum circiter horam manſit. At tunc, quaſi extra ſe rapta abſque vllo ſenſu quieuit, & quaſi phaſmate imaginario cum ſanctis Martyribus BONOSO, & MAXIMIANO ſe eſſe concepit. Apprehenſum manu tenebat oſſiculum Sanctorum, quod ipſa nocte à collo illi fuerat appenſum, linteo folliculo incluſum: atque adeò fulgores coruſcaſſe adſpexerant duæ eius filiæ, & totidem domeſticæ ancillæ. Eadem hora eius vir de coniugis ſalute ſolicitus ſanctis Martyribus voto ſe adſtrinxit inuiſurum eorum ſanctuarium, & curaturum in eorum honorem ſacram ſynaxim celebrari, prout fecit.

Vbi à ſuſpenſione, ſeu potiùs ſopore, quo ſopita fuerat, ſe collegit: ſanam ab omni ægrotatione nouit, & incolumen. Nullus in faucibus dolor, apoſtema reſolutum, ſalus in corpore integra. Tunc ex lætitia clamat, virum vocat, qui ea nocte excubias egerat, is feſtinus accedit, nam illam animam agere credidit: ſed offendit ſe affirmantem ſanam; Cautè ipſe pedes attingit, iam calentes, qui ſemper frigidi fuerant. Accepta lucerna guttur adſpicit, & liberum; petit aquam, haurit, ſimul & cibum ſumit abſque vllo impedimento. Fit præco miraculi, & Deo, & Sanctis fœmina gratias agit, & cùm non prorſus ignara ſed liberaliter inſtituta, iudici & Notario atteſtatur cuncta prout apud ſe geſta fuerant, atteſtati ſunt & alij.

48 In eiuſdem Didaci de los Rios educata pupilla orphana ſeptennis, è lecto collapſa caput ad thecæ angulum alliſit. Tumor tunc paruus increuit, nullius momenti creditus, ſed neglecto caput intumuit. Vocatus Chirurgus bina ſectione turgentem aperuit cutem, intérque eam, & cranium ſanguinem denſatum reperit, & eduxit, vulneribus medicamenta adhibuit:

adhibuit : Sed illa iam putrida omnia respuebant, & tetrus ab iis odor adeò, vt horrorem incuteret. Medicus, & Chirurgus puellam morti proximam enuntiarunt : Sed Donna Eluira, de qua suprà, cineres sacros à viro è sanctuario adductos vnguento immiscet, simúlque ex eis potionem temperat, atque genuflectens precata sic est : *Sancti Beati, vestro in nomine hæc medicamenta huic pupillæ adhibeo, vósque in conspectu Domini fauete.* Mox hac haustâ, & illis curata, meliùs haberi ægra cœpit. E vulneribus cutis tetra est ablata, & deinceps sanata prorsus extitit, ac si nullum passa fuisset detrimentum.

49 Huius oppidi ciuis, qui priùs fuerat Vrgauonensis, vxori, quæ constrictis vtriusque cruris neruis gradi nequibat, auditis, quæ Deus per Sanctos Vrgauonenses operabatur, mirabilibus, profectus ad Sanctuarium cineres adduxit, quibus aqua dilutis coniugis crura inunxit, & sana facta est: cùm multa antea illi adhibita fuissent remedia, sed sine effectu.

50 Idem peracuto lateris dolore correptus se eisdem Sanctis deuotè commendauit : ac dolore sensim mitigato, credidit à Domino intercedentibus illis ab acerbo cruciatu liberatum.

51 Puella octo nata annos in eodem oppido à morbo conualuerat suffocante, sed adeò cruribus debilitata, vt stare, & sedere nullatenus posset, per tres menses in lecto decubuerat nullis iuuata remediis. Eius matri fœmina Vrgauonensis ex sacris cineribus partem relatis miraculis, quæ Dominus operabatur, largita est ; Illa acceptis, vino consperſis puellæ crura & genua, Sanctis inuocatis, & de iis visitandis voto emisso, inunxit, & tibialibus induit nouis. Post quatuor autem, quinquéve dies ægra in lecto sedere incepit, deinde surrexit, & parietibus innixa ambulabat : tandem consolidatis neruis, & tibiis sanata est.

52 Oppidi de Escagnuela ciuis magno, & acerbo in latere correptus dolore, nullo alio vsus medicamento quàm puluere ex Sanctuario, liberatus protinùs ab eo est: sicuti & eius vxor à graui in spatulis dolore.

53 Ab vrbe Soria, nobilissimæ illi Numantiæ proxima, venit in Bæticam Petrus Velasco, Menobáque vulgò Velez Malaga, quia in eius Episcopatu ad aliorum oppidorum cognominum discrimen, horti cœnobij Fratrum Carmelitarum nudipedalium culturam exercebat, atque ex fluuij frequenti traiectione tibiarum debilitatem contraxit. Medici consilio thermas Alhamæ vectus iumento adiuit, sexdecímque diebus balneis vsus, sed nihil iuuatus, ne nerui adstringerentur, ab eis, medico consulente, abstinuit, & sub axilla baculo nixus Veris tempore emendicata stipe alebatur. Desinente Augusto Cordubam petiit etiam iumento vectus, & in fine Septembris in sancti Bartholomæi Xenodochio vnctionibus, & sudoribus curatus, non omninò sanus ægrè scipione manuali

fultus,

fultus, nec celeri gradu,nec cursu, sed tardè gradiebatur. Emendicare coactus,ex incommodis egestatis iterùm debilitatus, vt duobus baculis sub axillis reptantibus pedibus molestissimè se mouebat. Cúmque intellexisset prodigia Vrgauone Sanctorum intercessione à Domino edita, ipsa sancti Antonij Abbatis festiuitate eò proficiscitur, atque die vigesima sexta Ianuarij CIↃ IↃC XXIX. post solis occasum à sanctuarij custodibus demissus est in foueam, in qua prima reperta est fornax; Inibi deprecationibus, contritionísque actibus intentus post duas circiter horas quater, aut quinquies scintillas inter materiam, quæ inibi erat, emicare & euanescere vidit.Nox erat serena,& frigida,& sub dio,qui excubabant illum monuêre ne sibi gelida aura noceret, caueret: at ipse nil sentiebat. Media circiter nocte obdormiuit per horam, & experrectus frigore se occupatum sensit,& exurgere tentauit,& in vnam, & in alteram partem motus resumpsit vires, & sanus & liber sine baculis ex fouea gradu alternis pedibus facto exiliit; Collectísque manu baculis in tectum, in quo custodes,abit, ac miracula narrat. Postera die Sanctis Martyribus gratias agit,ac iam omni labori, vt anteà operam dat, tanquam nunquam tantum incommodum sustinuisset, Tabellámque in secretario appendit.

54 Eporæ,Montoro,iuuenis per triennium acutis cruciatus doloribus, cùm nonnihil conualuisset, iterùm acutioribus & febri est maximè vexatus, nullóque se mouere poterat modo, omnibus eius membris debilitatus eorum commissuræ, quæ ad motum, omnémque corporis actionem & stabilitatem sunt aptæ, acerbioribus debilitatus cruciatibus, nec in ipso lecto,nisi alterius auxilio,vllus eorum vsus,& motus. Post quindecim dies, quibus nulla medicamenta profuerant, soror eius ex Sanctuario cineres aquâ dilutos, & hauriendos præbuit, & totius corporis commissuris adhibuit; & cùm per septem noctes somno caruisset, vt primùm potione & vnctione est curatus, placido sopitus somno integrâ quieuit nocte, & sole exorto experrectus se liberum & sanum nouit, & à lectulo exurgens quasi nihil passus se ipsum induit,& in templum pergit, gratias Domino, eiúsque Sanctis agit, & sancto synaxis sacrificio religiosè adstat, & inuisurum Sanctuarium gratitudinis suæ in testimonium pollicetur.

55 Granata totius Regni Granatensis Metropolis est, & inter præcipuas Hispaniæ vrbes connumeratur: Inter cætera monialium monasteria,est sanctissimæ, immaculatæque conceptæ Deiparæ Virgini MARIÆ sacrum, insigne admodum, religione, & pietate clarum Archiepiscopo subditum: In eo soror Luisia Maria conuersa professa, has vulgus Sargentas vocat, quæ ad inseruiendum rei communi Monasterij profitentur.

tur. Hæc menſe Iunio cIↃ IↃC XXIIX. variis tentata ægrotationibus ex tibiæ malleolis emiſſus sãguis eſt, ſed in ſiniſtri inciſione plebotomo, ſiue ſcalpello neruus ſectus eſt ex tranſuerſo, eáq; ipſa inciſione adeò vehementi ægra dolore eſt cruciata, cardiaco ac ſi morbo oppreſſa ſenſibus mãſit deſtituta, vt aqua recreari adſperſa oportuerit: in tibia, & dolor infenſiſſimus, ad occiput vſque dilatatus ipsã magnis queritare clamoribus cogebat: Et cũ monialis, quę ſanguinis minutioni aderat, vulneris ligamẽ ſoluiſſet, nihilo iuuata eſt. Ingraueſcentibus doloribus, & tumori creſcẽti multa à Medico adhibita remedia: ſed Medicus vir, & prudẽs, & artis peritia nobilis nerui inciſionẽ, & nouit, & inſanabilẽ affirmauit, ac mãcam, & eo membro captam, ac debilẽ perpetuò manſuram aſſeruit. Nihilominus Chirurgos vocandos conſuluit, qui multis cõparatis medicamentis in eadem manſêre ſententia eius prorſus ſalutem deſperatam. Clauda ab omnibus deſtituta pedi nullatenus niti valebat; ſi quando accideret inniti, adeò acuto premebatur dolore, etiam in corde, vt animi deliquio collaberetur. His afflictata cruciatibus per decem eſt menſes: Nec ſe niſi baculis, aut monialibus fulta mouere vllo poterat modo. Quarto autem Kalendas Maij cIↃ IↃC XXIX. conuenit illam ſoror Angela monialis profeſſa, ac ſibi dixit miſſas reliquiarum particulas, quæ ad Vrgauonem nuperrimè erant inuentæ, multa, magnáque ſigna Martyrum meritis, quorum erant, à Domino edita: Iiſdem fidens, fidéque indubiâ ſed certiſſimâ apponeret, & ipſa futurum ſperabat, numine volente, vt ſalutem conſequeretur. Accepit illa eximium, pretioſúmque donum ſummè, deuotè, ac reuerenter, (erant autem cineres cum minutis oſſiculis.) Pia & verè religioſa conuerſa iam multa nocte Abbatiſſam conuenit, quæ cum ſororibus in dormitorio erat: humiliter petiit vt ſua manu illas ſibi apponeret reliquias. Pia mater, ex iis aquâ benedictâ adſperſis maſſulam fecit, & ſectioni adhibuit, vittáque ligauit; ſic curata non in cubile dormitum, ſed in chorum oratum perrexit. In eo dum ſuas ad Dominum, ſanctóſque Martyres preces effudit, doloribus angebatur acerbis, perſeuerauit clamans, & inuocans Sanctos ad mediam vſque noctem: ab iis poſtea cubitum, & aliquanto doloribus mitigatis ſurrexit. Ad exomologeſin religiosè acceſſit, Confeſſarióque narrat de reliquiis, iis fidem in Deum, & erga Sanctos adaugeri precetur, hortatur. Poſt confeſſionem ſacra expectat refici EVCHARISTIA: Interna humorum reuolutio commota eam occupauit, & exæſtuare quaſi feruido calore cœpit, ac magna ſibi improuisò viſa totius corporis facta mutatio, ſimúlque ſubitaneam ſalutem ſe ſenſit conſecutam, ac ſine vllo eſſe dolore: ac omiſſo baculo, quem manu tenebat, ſurrexit, vt accederet ad communionem, fultáque pede ægro ſicut ſano, porrexit, ſumptóque Diuino

PANE, & Domino gratiis actis, Moniali, quæ eius curabat ſalutem, & in ægritudine ſummoperè eam fouerat, ſe Domini miſericordia, & Sanctorum interceſſione ſanam & liberam ab inſanabili morbo dixit. Iuſſit illa ſcalas aſcendere ſatis arduas, & difficiles: facilè & aſcendit, & deſcendit: Hilares omnes moniales adeò manifeſto conſpecto miraculo ductante Præpoſita in chorum conueniunt, magnóque clamore concinunt TE DEVM laudamus. Quo finito, Medici, & Chirurgi euocantur, qui magna cum admiratione inſigne affirmant prodigium, non aliâ quàm omnipotentis Dei manu factum, & perfectum, perfectiſſimámque eius eſſe ſanitatem, nulla humana ope, nec arte id confectum. Poſtero die feria ſecunda ſolenni ritu & pompa in gratiarum actionem Miſſa, magnáque frequentiâ, & religione eſt celebrata.

56 Hoc adeò præclarum miraculum fama per vrbem vulgauit, Luiſia de Sanctillana, virgo pia, & religioſa per tres menſes fuerat oppilatione oppreſſa. Oppilationem ἐμφραξεῖν vocant Medici, vitium præcluſi, obſtructíque iecineris, aliorúmque intus viſcerum. Ab his illa incaſſum multis eſt medicamentis, potionibus catharticis phlebotomíſque curata. Cúmque ægra cum patre, & ſorore (mater enim eius deuixerat) exercitationis gratia domo prodiiſſet, in regreſſu poſt ſolis occaſum nocte appetente viſa ſibi ima corporis pars quaſi extincta, viribúſque fatiſcens, à patre & ſorore ſubleuantibus in ædes, & cubitum deducta eſt. Hemiplexia illam ſubita obruerat: à Medicis curata exquiſitis remediis, morbus magis, ac magis ingraueſcebat, atque paralyſis reſolutis neruis linguam turbauit, móxque mutam effecit, vt nec literam vllam vllo poſſet enuntiare, aut formare modo: adeò vt aduenientibus Paſchalibus feſtis cùm ex Eccleſiæ præcepto fateri, & ſacram deberet ſumere EVCHARISTIAM, ſignis, & notis indicauit, quæ proferre apoplexiâ impedita nequibat. Hâc etiam eius eſt manus ſiniſtra adeò cluſa, vt nec aperiri, nec ipſa poſſet aperire. Læuum non aliter etiam crus contractum, nec extendere, nec explicare valebat, atque vehementiſſimis, & acutiſſimis continuis torquebatur doloribus. Nulla illi proficua remedia, à Medicis deſtituta miſerè cruciata, muta decumbebat in lecto; Aſſidebat illi eius matertera Donna Eluira de Sanctillana, & quinto Idus Maij feria ſexta anni cIↃ IↃC XXIX. hora ſecunda poſt meridiem vt illam inuiſeret Licentiatus Alphonſus Gonçalez Aradillas, Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Montis Illipulitani Canonicus, qui eius iam antea audierat confeſſiones, aduenit. Poſt mutuas ſalutes, Eluira Canonico reliquiarum particulas, quæ ſibi miſſæ à Conuentu Immaculatæ Conceptionis fuerant, exhibet, & miraculum iam editum narrat, rogátque vt ægrotæ adhibeat. Canonicus cineres linguæ appoſuit mutæ, quæ conualeſcere cœpit. Hortatur

ἐμφραξεῖν.

tatur vt votum voueat Domino, & eius Sanctis,sic secundo, & tertio, séque Missas,quas vouerit, pollicetur celebraturum.Mente vouit,ac subitò eius lingua est soluta, ac clarè, ac perspicuè enuntiauit. IESVS MARIA. LAVDETVR SANCTISSIMVM SACRAMENTVM EVCHARISTIÆ. nimirum : Canonicus, & matertera tam subita metamorphosi, & mutatione conspecta , gratias Deo agentes, cineres sacros manui, digitísque paralysi contractis adhibet, absque dolore, vllóve impedimento, mouet manum, digitos claudit, aperit. Animantur omnes tam euidentibus miraculis : Iubent coxendici, & cruri contractis sacros applicari ab ipsa infirma cineres. Paret illa : perlinit, & ipsa vnctione contracta adstrictáque explicantur, & extenduntur, & absque dolore sanantur. Cùm illa se prorsus sanam, omníque ægrotatione euidenti videt miraculo, gratias Domino, eiúsque Sanctis piissimè egit : ac Canonici, & materteræ suasione,seipsam induit, nemine iuuante è lecto surgit, ambulat, & loquitur. Et quæ per tres emphraxi, & per duos circiter paralysi & hemiplexia infestata consumpta fuerat,exiguo temporis momento,ac si nullum passa fuisset, nedum acerbissimos morbos, quasi rediuiua concurrentibus patri,consanguineis, amicis, & vicinis occurrit obuia, manifestum prædicat prodigium. Omnes hilares in maximam rapiuntur admirationem,& Domini,& Sanctorum eius gratiarum actionem.Præclarè Chrysologus serm. 18. CHRISTVS *sic fugat morbos, vt vires pristinas mox reducat: vbi curat ars, ibi infirmitatis residet lassitudo : vbi sanat virtus, ibi languor vestigium non relinquit.*

57 Illustrissimus Cardinalis Augustinus Spinula,Granatensis Archipræsul, per suum Vicarium multis examinatis testibus, etiam Medicis, & Chirurgis,hæc insignia comprobauit,& approbauit miracula.

58 Vigesimo circiter à Corduba lapide ad flumen salsum oppidum haud ignobile, Castrum nunc, olim Aspauia, siue quod magis probo Castra Postumiana, Ministri Sanctæ Inquisitionis honesti ciuis filia virgo pestilenti,malignáque febri correpta,morti proxima laborabat. Morbus erat suffocans : tonsillæ inflammatæ , & vlceribus corruptis ad tabitudinem redactæ, teterrimum exhalabant putorem. Cubiculum ingredientibus pestiferam & ozem.Medicus,vt qui eius esset affinitate, & affectu iunctus , etiam adhibito Chirurgo remedia omnia tentarat : Nulla proderant, in dies morbus incrementa sumebat : aquam , nedum cibum deglutiri nequibat. Eius iam corporis desperata salute suadente Medico,animæ procuratur à matre, nam pater aberat ; Ægra viatico sanctissimo sumpto deuotè , & vnctione est etiam munita. septem diebus nihil prorsus gustarat, faucibus clusis vix respirabat. Medicus solicitus sibi cinericiam ex fornacibus Sanctuarij missam formam , vti magis præsen-

taneum remedium defert; Sciscitatur à matre de infirma, respondit præcedentem omnes noctem insomnem egisse, qui ipsam crederent iam animam agere, ac in manibus CHRISTI Domini Nostri imaginem tenuisse: tunc autem grauissimo animi deliquio correptam absque vllo sensu quasi extinctam esse. Adiit medicus infirmam, eámque clamore excitat, & hortatur vt bono sit animo, & reuerenti suscipiat Sanctorum reliquias, quas affert, ac illos precetur, & eorum se orationibus commendet. Ægra vix oculos aperuit, loqui nequibat, sumpta sacra pignora ori, deinde cordi admouit; Medicus nihil sibi reliquum quoad artem existimans, reliquit eam, ac matri dixit libitinam apparari oportere. Illa mœsta in inferiori domus triclinio iubet parari, vt funere inde filia efferretur: at hæc simul atque cineres apposuit, cœpit meliùs habere, & reuiuiscere, viribus per septem dies ieiuna fatiscebat; Rogat ancillam, cui eius cura demandata magis signis quàm verbis, vt eas collo & cordi admoueat, se earum tactione maximè recreari, excreare ex improuiso cœpit cum carnis putris, & tabidæ frustula, & saniem ex vlceribus: petiit, & datum hausit iusculum, ac omninò conualescere est visa. Medicus vesperi funeris signum tardare miratur, illam pollinctam certò credens, domum adit, vt si quid opus, iuuet, & amici absentis suppleat defectum: sed quam obiisse opinabatur, rediuiuam inuenit. Miraculum ingens, & insigne credidit: testatus est medio iureiurando, sicut & Chirurgus; Mater, & ipsa infirma iam omninò sana, & ancilla illa id ipsum iuratæ asseruêre, & Cordubensi iubente Episcopo iuridicis consignatum probationibus.

59 Plaustrarij duo, seruus, & liber (ille non moribus quouis ingenuo inferior) vt suorum vehiculorum operas locarent mense Septembri M.DC.XXIX. ex Mancha oppido Giennensi Vrgauonem aduenerant: ille febri ardentissima occupatus periculum timens confiteri desiderauit, sed capite grauatus neutiquam valuit. Fœmina, ad quam diuerterat, rogat, vt ex terra Sanctuarij glebulas minutas deuotè sumat, & se Sanctorum precibus commendet: Multa, eximiáque fieri prodigia quotidie eius virtute omnibus compertissimum esse. In manticis reposuerat plustrariis cum Sanctuarium inuiserat ex ea particulas: ex iis tres in nomine Sanctissimæ Trinitatis quasi orbiculos deglutiit. Nec mora, feruida deferueri cœpit febris, ac sanus effectus surrexit manè, & gratiis Domino, & eius Sanctis actis, vsque ad noctem in pilæ lusu saliens, & cantans mansit. Socius illum iocosè irridebat, dicebat & morbum, & miraculum fictitium, vt qui tam citò conualuisset, & lusione, ac saltu se integra exercuisset die. Ipse verò respondebat: Caue ne & tu patiaris aliquid mali, & Sanctorum ope idigeas; forsan atqui egebis, & exprobrare desines; Domum regre-

diuntur,

diuntur, in itinere liber plauſtri ſui mulæ inſederat, incautè tamen, vt collapſus eſt, exterritæ currunt mulæ, ac caput ferrata pertranſiit rota, plauſtrum non omninò, onuſtum tamen erat: Seruus, & alius plauſtarius, qui comes illis adhæſerat, conſpicantur iacentem, quid illi acciderit, rogant, refert, ac petit ſibi ex pileo montano cinericias, quas in eo habebat formas ex Sanctuario adhiberi, & ſanguinem vitta ligari, nam rotâ protritam credebat ceruicem. Aduertunt ambo ſigna clauorum in cute, & plagulam, & adhibent cineres ſacros: Miraculum clamant factum. Exurgit prioris incredulus iam in ſe maius expertus, & ſe liberatum Sanctorum meritis, quorum cineres in pileo gerebat, fatetur, & ſanus quaſi nihil detrimenti accepiſſet, Deo & Sanctis gratias egit.

Non cuncta, quæ ſunt ſigna comprobata, ſicut nec quæ referuntur per vniuerſam edita hîc ſcribo.

CAPVT XXXI.

Illuſtriſsimus Cardinalis Giennium reuerſus Vrgauonem proficiſcitur, indictæ ſupplicationes, aliáque Diuina celebrantur officia.

1 CLementiſſimus Dominus indies plura Sanctorum ſuorum precibus edebat prodigia, ac ſua indigis ope ſalutarem adſpirabat auram, publicis ſignificabat ſignis, quanti apud ſe, meriti & dignitatis eſſent inuenta pignora. Illa Illuſtriſſimus Cardinalis, ac Giennenſis ſimul Præſul magno deſiderabat affectu, & intuitu recognoſcere, & tanta beneficia geſtiebat, ſuúmque eſſe ex Mantua Carpentana, vulgò Madrido reditum accelerauit; Maxima omnium lætitia Giennium excipitur xxv. Februatij, CIↃIↃCXXIX. Nihílque antiquius illi quàm de Vrgauonenſibus conſultare rebus, lento progrediendum exiſtimabat gradu: Ardua non præpropero, ſed maturè feſtinanda, confirmari oportebat, quæ tanta incrementa ſumebant: Tarditatem aliis creditam, non impetu, ſed prudenti conſilio, & grauitate corrigebat, ne magis eſſet in vulgi rumore, & opinione, quàm in rei adeò ſeriæ veritate. Datum tempori Quadrageſimalium feriarum tempus, poſt natalia feſtiuitatum celeberrima ſolemnia: Hyemis etiam rigori indulgendum, interea tamen ex Capitularibus, & Clero, & Religionibus, & familiaribus viros aduocat, & pietate & literis inclytos Theologos, Iuriſque vtriúſque peritos, in eorum conſeſſu probationes, actáque leguntur: Sententias exquirit: in eam eſt itum rem grauiſſimam; Et quia atteſtationes ſuadent continuari oportere, in prima aliiſque concluſum ſeſſionibus. Epiſcopum Neopolitanum in Palæſtina titularem, virum gnauum & prudentem cum aſſeſſore Giennij

probationes prosequantur,cætera quæ oportere iudicauerint exequantur Visitator inceptas prosequatur.Cardinalis his, aliísque approbatis decretis Profectionem in Municipium assignat, exorsúmque omnium à numinis propitiatione fieri voluit.

2 Supplicationes per Diœcesim ad diem secundum Paschalium festiuitatum XVI. KALEND. Maij, ↄIC ↄIC XXIX. indixit: Deprecationes ritu, moréque Catholicæ Romanæ Ecclesiæ fieri omni studio, & religione mandauit, vt lux æterna mentibus alluceret omnium, quid his,quos in mortalium dabat contuitum, fulgoribus portenderet, & iuberet: simúlque edicit se futurum Vrgauone sexta feria duodecima Kalend. Maij, eadémque die, & sequenti municipes omnes se ieiuniis,precibus, & culparum expiatione, vt sequenti Dominica in Albis sanctissimæ EVCHARISTIÆ participes supplicationem celebrent non minori religione, quàm solemnitate: Indulgentiam solitam concedit.

3 Feria quarta,Aprilis decima octaua præuij proficiscuntur, Reuerendissimus Don Petrus Mirabal Aillon, Episcopus Neapolitanus, & Illustrissimi Cardinalis Suffraganeus,Pater Franciscus LuisiusManzano Presbyter, & eximius Societatis IESV Concionator, Licentiatus Nicolaus Adarue d'Acuña Iurisconsultus à Cardinalis consiliis, Don Gabriel de Saro Visitator generalis, qui postera die, quinta feria, debita priuata reuerentia sacra inuiserunt leipsana è fornacibus eruta, & in secretario reposita: Cúmque pridie Sanctuarium fuissent intuiti,iterùm magna consideratione notarunt,in eo,& in aliis partibus ad ipsum castrum effossiones continuari oportere.

4 Feria sexta in maius templum aduocatur populus, qui frequens adfuit, & inter Missarum solemnia Pater Franciscus Luisius ad eum tractatum habuit, & rei grauitatem,de qua agebatur,commendauit,multáque in eam dissertauit sententiam.

5 Ea nocte venit Illustrissimus Cardinalis, & cum eo Excellentissimus Comes Altamiranus ex primis Hispaniæ proceribus, qui Magni & sunt, & compellantur,ac eius clarissimi nepotes ex primogenito, Don Lupus Moscoso de Mendoza AlmazaniMarchio,ac Montis acuti Comes,ex sorore Don Rodericus Moscoso de Caruasal Canonicus Giennensis, cum aliis eiusdẽ Giennensis,& aliarũ Ecclesiarũ Canonicis, & Capitularibus, & familia copiosa.Ex oppidis vicinis,ac ex omni fermè Bętica multi aduenêre,promiscui status, sexus, & ætatis, vt haud absurdè Sancti Basilij verba vsurpem, [a] *Naturæ lex est apibus innata, vt nisi Rex priùs agmen præcedat, ab aluearibus nunquam discedant: Populi autem Dei ad Martyres tanquàm ad flores cælestes, exeuntes frequentes conuenêre. Quo verò duce? Quis ingentem hunc æstum excitauit? Vt populi ex Vrbanis ædificiis,tanquam apes ex aluearibusad Municipium,*

[a] S. Basil. homil. 19. in Gordiũ Martyr.

nicipium, Martyrum stadium confluerent? Duces Martyres, qui & Pastorem euocarunt: Omnes viæ quasi in arcam properantibus formicis constipatæ. Vere iam adulto Territorij iucunditate Zephyris fauentibus camporum æquor, in quo sine periculo in segetibus fluctuabant vndæ, hilares omnes sine nauigiis enauigabant; Nulla turba, non tumultus, non rixa, non sermo petulans, aut procax. Fœminea contubernia, sine custode tutissima, omnes religione acti triumphalibus sanctorum Martyrum fornacibus affusi supplices oscula figunt, omnem defessis longi itineris membris laborem, & alij infirmi languorem sentiunt protinus explosum esse.

6 Sabbatho Illustrissimus Cardinalis, & reliqui omnes Sanctuarium, & sacra inuenerati sunt pignora, ipséque mox & celebrauit, & alteram pro antiquo suo more audit Diuinam Synaxin.

7 Dominica die ante lucem iam in templum properat populus; Congruit sanè quod Magni Basilij Frater Gregorius dixit:[a] *Molestum*, inquit, *nimirum plerisque comprimi inter sese, & constipari. Hoc mihi verò summæ lætitiæ est. Lætatur enim oculus Pastoris cùm gregem præ multitudine coarctari, & ouile superfundi videt. Quamquam non exiguum ouium stabulum est: sed laxitatem angustam effecit multitudine grex abundans. Quotquot autem ab iis, qui intus sunt, non admittuntur, apum in modum locum externum in vestibulis implent. Nam apum aliæ quidem intus in opere occupatæ sunt, aliæ verò foris aluearia circumstrepunt.* Non alio sanè modo in eo templo accidit.

[a] In oratione in laudē Sanctorū Quadraginta Martyrum.

8 Solemni ritu liturgia celebrata, & festiua in tanta panegyri Panegyricus grauissimè à Reuerendissimo Neapolitano Antistite in laudem Dei & gloriam, ac Sanctorum Martyrum BONOSI, & MAXIMIANI declamatus peroratus est honorem; Cardinalis post officij diuini finem ibidem celebrauit, multíque ab eius manu sacrâ sunt EVCHARISTIA refecti.

9 Post officium vespertinum solemni pompâ supplicatio peracta est, Confraternitatum vexillis, & numerosa Confratrum regularium, & Clericorum frequentia, assistentibus Cardinali, reliquis Capitularibus, Comite, & nepotibus, familiaribus, & Decurionibus, & Nobilibus exteris Municipalibus.

CAPVT XXXII.

Ab Illustrißimo Cardinali inueniuntur plura corpora quæ multis indiciis creduntur esse Martyrum.

1 MVnificentissimus Dominus Deus Noster sui mortales amoris fouet semper fomentis, liberalissimæ suæ benignitatis perennes assiduè aperit fontes, opportunissimè nostrarum miseretur miseriarum, & cala

& calamitatum, quando premunt magis aquarum patefacit venas, ac siticulosos laborum irrigat angores. [a] *Quid admirabilius, aut illustrius Diuinæ magnificentiæ argumentum, cùm ex rebus perditis, & deploratis iter secundis aperire voluerit?* Impendentibus subuenit malis: ad ea antequàm opprimant munerum scaturigines erumpere facit. An non ipsæ sunt Sanctorum leipsana non ante reperta? Nunc verò tot prodigiis, & ostensis ostensa, ac indicata? Luciano B. Gamaliel in reuelatione corporis Sanctissimi Protomartyris Stephani, & aliorum Sanctorum: [b] *Luciane, vade in ciuitatem Ierusalem, dic Ioanni, qui in ea est Episcopus: Quandiu clausi sumus, & non aperis nobis? Et maximè quòd in temporibus tui sacerdotij oportet nos reuelari; Aperi nobis festinanter monumentum, vbi negligentiâ positæ sunt reliquiæ nostræ; vt per nos aperiat Deus, & CHRISTVS eius, & Spiritus sanctus ostium clementiæ suæ in hoc mundo: periclitatur enim sæculum ex multis casibus, qui fiunt quotidie, &c. Exurge igitur, & vade, & dic illi vt aperiat nobis, & faciat locum orationis, vt intercessione nostra misereatur Dominus populo suo.* Hanc reuelationem scripsit Lucianus petente Auito, de quo Gennadius: [c] *Auitus Presbyter, homo Hispanus genere, antè relatam Luciani Presbyteri scripturam in Latinum transtulit sermonem, & addita epistola sua per Orosium Occidentalibus edidit:* ad Balchonium nempe Bracharensem Episcopum. [d] Huius inuentionis per Lucianum meminêre Marcellinus Comes, Ado Viennensis, Nicephorus, Beda, Gennadius, Nicetas, & alij.

2 Procopius agens de quatuor militibus ex duodecima legione Martyrum apud Melitenem vrbem Armeniæ. [e] *Etenim Latomi*, inquit, *effosa humo inuenerunt arculam literis indicantem, esse scilicet reliquias horum virorum: quod Deus latere voluit, donec manifestari congruum foret. Quippe Iustinianus corpore erat malè affectus, vehemens enim fluxus in genua delapsus virum dolore confecit: hinc igitur morbus succrescens medicorum operam euicit; Interim audiens inuentas esse reliquias, relicta ope humana, ad has fidem conuertit, & vera opinione, in iis, quæ maximè necessaria erant, vsus est. Postquam autem lancem reliquiarum sacerdotes genibus Regis imposuerunt, euanuit dolor, corporibus, quæ Deo seruierunt, cedens: quod profectò Deus nolens esse dubium, magnum signum ostendit eorum, quæ acta erant; Nam ex sanctis illis reliquiis subitò oleum manauit, & arculam perfundens pedes, & totam purpuream vestem Regis imbuit, & humectauit. Quamobrem vestis hoc modo humectata in Regiis receptaculis asseruatur, in eorum, quæ tunc facta sunt, testimonium.* Hæc Procopius.

3 Beatissimus, singularis, & vnicus Patronus Hispaniarum IACOBVS, vti ex epistola Leonis Tertij liquet, Hierosolymis capite truncatus est. Corpus eius canibus, & volucribus lancinandum, & vorandum expositum est: (quod etiam factum de Beati Stephani corpore B. Gamaliel Luciano asseruit) sed Deo protegẽte intactum nauigio impositum est, atque Iriam Flauiam

[a] S. Greg. Nazianz. oratione 32.

[b] Surius mense Augusto. Baronius anno 415. §. 8.

[c] Gennadius c. 46. & 47.

[d] Marcellin. in Chronic. in Historia Ado sexta ætate. Niceph. lib. 14. c. 9. Beda lib. de sex ætatib. Gennad. de viris illustribus. ca. 46. Nicetas de Mart. & inuentione S. Stephani

[e] Procopius lib. 1. de ædific. Iustiniani.

Flauiam delatum.[a] *Magno Dei beneficio*, Cardinalis inquit Baronius, *factum, vt quòd post tot sæcula tanti latuisset corpus Apostoli, hoc ipso tempore sub Alphonso Casto Principe maximè pio, in lucem emerserit, lucis signis super vepres in loco vbi erat abditum pluribus noctibus visis, non vni, sed multis, præcipuè verò Theodomiro Episcopo Iriensi. Cuius cùm rem inuestigandi diuinā præcipua cura esset, summa religione, vt alter Moyses ad ardentem rubum reuerenter accedens, non voce pulsus, vt ille, sed impulsu spiritus inuitatus est. Neque vt Nehemias*[b] *quærens sacratum ignem in alto, & sicco puteo, aquam crassam tantùm inuenit: sed accensum virtute potentem fulmineum ignem nactus est, ipsum dico*[c] *filium tonitrui, ita à Domino nominatum Iacobum, opportuno tempore reuelatum,*[d] *ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populos: ad vindicandam scilicet Hispaniam è manibus impiorum, & liberandos fideles à dira infidelium seruitute, prout abundè satis declararunt euenta.*

a Baron. tom. 9. anno. 316. §. 62

b 2. Mach. 10.

c Marci c. 3.

d Psal. 149.

4 Diuinarum miserationum fontes sunt perennes Sanctorum reliquiæ, è quibus curationum, ac salutarium donorum in omnem deriuantur orbem copiosè fluentes riui. Signa, & virtutes non corporibus tantùm, sed animis sanandis eorum deprecationibus operatur Dominus: Luce sua indicauit vbi tantus abditus esset thesaurus; Noluit vni monstratum, sed pluribus ostensum, vt omnes inuestigarent, qui in eorum prouectum, & profectum futurus erat commodissimus. At piissimus Pastor & præsul ad se maximè hanc curam, vt credidit, spectare, ita opere capessere, & impendere nisus est. Primus postero die, latomos, & fossores aduocat, & operarios, quos accinctos labori, hortatur: & inter sacerdotes partitur ministeria, ne quis à labore sacro existat immunis. Primùm diruitur pars aggeris, quæ inter turrim veteris campanilis, & alteram columbarij ad ostium arcis ingredientibus læuam: Vbi pulchellus se conspiciendum præbuerat infans, prospectæ luces, & campani æris auditi tinnitus. Fossa humo, cretáque obstructa eruderetur die XXIII. Aprilis CIↃ IↃC XXIX. Ipse tamen dum omnes instant operi sacrum religiosissimè facit. Meritò iuréque vsurpo, quæ de Beatissimo Pontifice Stephano ex M. S. codice referuntur à Fratre Laurentio Surio[e] de inuentione sanctorum Diodori Presbyteri, Mariani Diaconi, & innumerabilium Martyrum. *Sed omnipotens*, inquit, *Deus, qui immutabilis perseuerans, mutabiliter dispensat tempora, suorum Martyrum gloriam reuelare voluit suis fidelibus. Vnde S. Stephanum suæ sanctæ præficit Ecclesiæ Apostolicæ, cuius ad hoc inspirauit animum ardore mirabili, vt tantorum sanctorum quærere aggrederetur thesaurum obrutum.* Simillimè sanè BONOSVS, & MAXIMIANVS inquisiti, plurimi & alij cum iis reperti. Duo quasi ductores, præcipuíque athletæ, sicut Diodorus & Marianus. Pontifex igitur vti & noster, *fossores aduocat, & benedictione munitos, vbi, & qualiter fodere debeant instruit*, &c. *Incipiunt fossores terram egerere; Sed plus omnibus ipse insistit Deo digno operi, nam illi fodiunt manibus, hic Deum dignis*

e 1. tom. 17. Ian.

orat precibus, illi quærunt fodiendo, hic orando inuenit.

5 Effosa humus ad septem alta pedes, nullum verò vestigium: pedes alias tres, vel quatuor eruderatur donec lapides cæmento firmi reperti, sed iuxta maiores cum carbonibus; Non multo mox grande inuentum saxum, quo euoluto sub eo apparuit fornax prioribus non dissimilis. Ex ea intuentium obtutum incurrunt candentes velut eximiæ margaritæ inter cineres ossa, harum maxima in illos est pars conuersa. Conseruauit Dominus ea, vt testificarentur cætera igni consumpta, in fauillas candidissimas redacta; His collectis magna cum lætitia, nec minori veneratione, adstabat & Illustrissimus Cardinalis, qui suis omnia recensebat manibus. Iubet latomos ad Columbarij pergere turrem, ad decem circiter pedes tellus eruitur, atque altera se ostentauit fornax, cineribus, & carbonibus constrata; subtus verò in ipso pauimento erat massa, quæ, & colore, quasi cruoris constipati, & pinguedine succulenta, vti sanguine mixtam carnem referret; minimè corrupta, nec graui odore grauis, sed quasi recens, nec ideò tactione horrida, sed grata omnino, mollis, & blanda, atque tritu friabilis. Diuinâ per tot sæcula, in humecto, vuidoque solo sic conseruata prouidentiâ, vt crassus, oleosúsque liquor ex ea constricta flueret: inter digitos tractata, & fricata siccata, in candidissimum vertebatur cinerem, probarunt plures, & ego cum eis, magnóque comperi cum oblectamento.

6 Illud autem silere religio vetat, cùm plures adessent, in iis Franciscus Luisius ex Societate, cuius memini superiùs, dum inter pollicem, & indicem refricat, ex ea adhæsit digito effigiatus vultus viri grauis promissa barba, quam tribus, aut quatuor adstantibus ostendit. Verùm religiosus, & prudens sua eximia modestia silentio præteriri enixè contendit, & sub silentio manere; sicuti Reuerendissimus Episcopus, qui dum ad Sanctuarium pergit, suauem quasi puellarum virginum concentum audiit, tunc monialium, vel ex aliqua parœcia; verùm re considerata, non humanum, sed Angelicum cantum, me cum eo dissertante, & comprobante certò credidit. Nullum quippe in oppido monialium Monasterium Parœciæ longè dissitæ, nec in ea tam eliquatum melos.

7 Eliquata ea materia cruenta, & carnea, ex corporibus combustis densata edebat, prouidè ac consultò iussit Cardinalis collectam reuerenter custodiri; Venit tempus, de quo Sapientia: *Et in tempore respectus illorum,* vt inspiciantur, & fulgeant; quoniam, *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit dignos se. Et tanquàm aurum in fornace probauit illos, & tanquam holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.* Non consumitur dum conflatur, sed purgatur aurum: sic Sancti

a Sap. 3. 6.

Martyres

Martyres non flammis combusti prorsus, sed excocti.[a] *Audio*, inquit Tertullianus, *dicentem Deum: Vram illos, sicut vritur argentum, & probabo illos, sicut probatur aurum, vtique per tormenta ignium, & suppliciorum, per martyria fidei examinatoria.*

[a] Tertull. in scorp. c. 7.

8 Hâc auri purissimi massâ reperta, continuatur effossio, & vigesimâ octauâ Aprilis in meridie, numine dirigente, nonnulli accessêre, & sarculis humum egerentes in nouam gemmarum incidunt venam, aliquot scilicet ossa humana; Acclamant omnes. Cardinalis (hospitium eius erat Sanctuario & effossioni, via tantùm media, contiguum, atque ex fenestris in ea loca prospectus) celeriter nihilominus accessit. Aduentant omnes sacerdotes & domestici; Municipes accurrunt; Tellus eruitur, apparent brachiorum apophyses penè integræ, & spinæ vertebræ omnes, dentes duo, & vnus molaris quasi recente imbutus sanguine. Costæ integræ octo, aliáque ossa inter cineres, in quos ignis quæ deerant ad corpora integra conflauit albentes.

9 Inter humana, & animantium proiecta & ossa, ne Christi fideles discernerent, impiorum tyrannorum hoc nequissimum fuit commentum. Fecit Dacianus, fecit & scelestus parabates Iulianus, de quo B. Gregorius Nazianzenus, vt retuli, addidit & aliud nequius infandum scelus, ne vlla particula corporum remaneret.[b] *Illi enim*, idem inquit Nazianzenus, *vt vnum ex multis commemorem, quod etiam atheis horrorem incutere queat, virgines castas, mundo sublimiores, quæque vix etiam vnquam viris in conspectum venerant, in medium productas, vestibúsque nudatas, (vt per adspectum contumeliam ipsis prius inferrent) ac postea discissas, atque dissectas, partem propriis etiam dentibus comminutas edisse, atque vt eorum execrandum furorem decebat, crudis hepatibus sese ingurgitasse feruntur, ac cibo illo perfunctos communem, & vsitatum admisisse, partim palpitantibus adhuc visceribus suillum pabulum inseruisse, ferocissimísque porcis immissis hoc spectaculum obiecisse, vt simul cum hordeo carnes laniari, atq; exedi perspiceret, mixtum alimentum, actum primum conspectum, & auditum: quo sanè is solùm dæmones suos alere merebatur, qui horum scelerum architectus erat.* Vbique serpens, dracóque ille iubatus suos habuit architectos, vt quoquo posset modo, etiam post necem insectaretur sacratissimos Martyres, eorúmque exuuias quacúmque comminiscerentur vafricie dehonestare: nequis illis honos tribueretur. Sed Domini manus protexit eos, non bestiarum impuris contaminati sunt ossibus, sed magis ac magis iis abiectis, ipsi honorati.

[b] Nazianz. orat. 21. in Iulian. ordine tertia.

10 His iam consummatis, ad fundamenta turris, in qua adhuc antiquũ extat æris campani fulcimentum, latomi, fossores, & operarij strenuè pergunt: & cùm ad pedes quindecim tellus eruderata fuisset, nihil præter carbones, semiustulatósque lapides repertum. Instat non sine numinis afflatu Cardinalis contra omnium opinionem, tellurem motam, donec

immota offenderetur, effodi præcipit. Parent alacres omnes tanti Principis vrgente præsentiâ, nec frustrà, multo tamen exantlato labore, grandi depressâ profunditate effossa fouea est, cùm nulla spes esset, incidunt in humum combustam, lapides in calcem versos, muri partem igni, fumóque tostam. Animantur omnes, non sine difficultate descendit Cardinalis proximum immò in locum, lubricum, & arctissimum; Cineres, & fragmina ossiculorum aliquid latere magnum denuntiabant. Apparent summa crania, tunc iussi omnes cessare, sacerdotibus datus labor: Vnus quo qualíque diligentia & sudore immersa, humóque constipata eruit sacra illa capita; Alterum vulnere insigne, alterum in cœlum conuersis oculis, vtrúmque vnius pedis distantiâ. Frequens populus in mœnibus, vallo, omníque loco vnde prospectus. Eleuantur capita, quæ prius suis est vlnis reuerenter Cardinalis amplexatus, & miro exosculatus affectu; Eximius exortus clamor omnium, personat municipium, & æris campani omnium templorum. & vocibus concurrentium.

11 Hoc perfusi cuncti gaudio corpora horum capitum omni quærunt conatu, feruet opus, deueniunt ad sex passus ad ipsa muri fundamenta in cineres, ossáque non pauca, quæ omnia conficerent corporum structuram, quæ existimata omnium iudicio sunt eorum esse capitum. Hoc tantum gaudium permixtum dolore: sacra enim illa leipsana immundis bestiarum exuuiis in dedecus, & ignominiam sæuissimi carnificis coinquinari omni studio contenderunt. Sed quid profecit tantum nefas? Purpurâ imperatoriâ celsior & præclarior, Sacerdotalis Pontificiáque dignitas ad ea demittitur, colligit, veneratur. Mirantur omnes nouum Stephanum, qui vt ille sextus [a] *inuento sacratissimo thesauro nullis copiis coæquando ipse prior accinctus cryptam ingreditur, & stipatus diuersis venerabilis Sacerdotij gradibus, ac cœtu populi orthodoxæ fidei, Deo dignas laudes cum exultatione referens inter ruinas, & lapidum congeriem, propriis cœpit manibus omni mundo venerabiles margaritas legere de Sanctorum corporibus, nec cessat suo sancto studio, donec omnia fragmina artuum à ruinæ segregaret congerie.* Non in foueam tantùm, sed in omnes descendit fornaces: lapidum, ruderum, & terræ transiliit eruderatos tumulos, puluere inspergitur, qua lætitia & alacritate quasi in Martyrum trophæis de tyrannica triumpharet crudelitate.

[a] Surius vbi suprà.

12 Cùm inter has turres murum, & antemurale nil effodiendum reliquum: Operarios in Sanctuarium pergere iubet, atque inter duas etiam turres, quæ Sanctorum & horologij dicuntur, effossionem indicit; In ea enim parte, ex cælestibus fulgoribus magnus ibi credebatur absconditus thesaurus. Ea ipsa nocte feria sexta, qua Illustrissimus Cardinalis Vrgauonem peruenit, ad multam perseueraui noctem in sanctuario, si Domino placeret, vt ego conspicerem eius mirabilia. Magna frequentia adstantium

ſtantium & orantium,cælum ſudum,ſerena illuníſque nox, frigidior aura quàm illius temporis ferret veſtis verno apta tepori, remanſere non multi. Inter vtramque turrim, cùm nulla iam ſpes in muro à ſummo ad imum apparuit crux ſequi pedem lata,& eo ſplendore,quo luna cum feneſtras penetrat,atque eo manſit ſpatio, quo omnes firmaret certos non deceptos obtutus,& iterùm tertióque conſpecta. Poſtea in ipſa horologij turri ad illius pondera, quaſi feneſtræ forma obiecta, multis magníſque rimoſa foraminibus,ac per ea exerebat ſe clariſſima lux, ac ſi intus eſſent plures magníque accenſi cerei,ac aureos vibrarent ſplendidiſſimos fulgores:in imis foribus quaſi ſcintillans lucifer, tertiò etiam contuentium exhilarauit mentes,& oculos. Omnes adeò intenti, vt nemo meminerit Cardinali indicare:Indicatum tamen,ſed iam tardè;Feſtinus acceſſit. Commoratus ad horam, ſed mihi viſum in angulo non magnam adſtare lucem,iudicaui:claritatem non negarunt,qui cum ipſo erant,ſed ex calce eſſe affirmabant.Poſtridie non calx ibi conſpecta. Fulgores propinquantibus minores,& nonnunquàm euaneſcebant.

13 Ex vna in alteram effoſſio diſponitur turrim:tres reperiuntur fornaces cineribus quaſi ex margaritis plenæ, mixtis carbonibus, vſtulatíſque lapidibus;oſſa minuta,& non multa,flamma conſumpſerat cætera. Subtus erat illa maſſa ſanguine carnéque conſperſa, ſimilis illi, quam dixi ſuperiùs inuentam. Hinc ad radicem primæ turris Sanctuarij, quæ cataractæ dicitur,tranſiêre latomi & foſſores;Duodecim pedes fouea depreſſa inter lapides,teſtaceáque fragmenta, & carbones combuſta omnia caput in tres diuiſum partes effoditur. E muro ſaxa coniecta à tortoribus illud fregiſſe non vanè ab omnibus exiſtimatum. Non longè ab hoc & alterum apparuit caput non vſtum,vt primum, ſed quaſſatum, & ex habitudine & forma fœmineum à Medicis iudicatum.

14 Magno applauſu,& lætitia excepta ſunt ab omnibus,eorum inueſtigantur corpora,inuenta tandem inter lapides,fauillas, & ferrea igni fuſa inſtrumenta informia. Coſtæ etiam omnes combuſtæ fuerant, ſimul cum nonnullis oſſibus. Deinde brachia, & crura inter lapides, & carbones inuenta,quaſi è mœnibus lapidata fuiſſent. Ipſa leipſana tanta luminum indicata ſignis,& forma,& habitu,quibus inuenta Sanctorum Martyrum eſſe certiſſimò cunctis & creditum,& aſſeueratum.

15 At Cardinalis nullum voluit locum intentatum, in quo vel vlla eſſet ſuſpicio Sanctorũ adeſſe pignora Martyrum. In Caſtri parte poſtica, quæ extra mœnia oppidi eſt,à ciuibus oſſicula reperiri, atque ex his ſanguinem fluxiſſe intellexit. Latomos, & foſſores iubet illuc tranſire:adeſt ipſe primus:Valli vbi pars in obſidionibus diruta,eruderatur humus,non multa, nec magna inuenta oſſa:quæ omnia ſolerti ſunt cura cuſtodita.

CAPVT XXXIII.

Magnus populorum concursus in Sanctuarium. Auditi tintinnabuli tinnitus, & sonitus.

1 CVm iam nihil reliquum in effossione visum, Illustrissimus tres Medicos, & Chirurgos adhiberi iussit, qui omnia eruta ossa recognita, ab his, quæ bestiarum essent, discriminarent secretis omnibus, à sacerdotibus quæ sacra perluuntur. Magna sanè Diuinæ virtutis vis, quis absque horrore scileti, & cadaueris manibus tractet artus, & membra? Et quamuis omnia humana corpora ex eadem naturæ materia constent, neutiquam eadem comparatione paria [a]. *Aliorum reliquiæ*, Gregorius inquit Nyssenus, *vulgò detestabiles sunt, nullúsque volens ad eorum tumulos accedit. Quod si dum aperiuntur in eas casu quispiam incurrat, coniectísque oculis deformitatem intus iacentium adspiciat, magnâ oppletus molestiâ, & humanæ conditionis miseriam deplorans prætercurrit. At si in locum similem huic, ad quem vos hodie conuenistis, vbi iusti memoria, Sanctique reliquiæ sunt, accedat, &c. sensibus obnoxiis oculos oblectantes, cupit loculo reliquas corporis partes admouere. Etenim ipso contactu sanctimoniam credunt omnes, & charitatem excitari. Si quis autem puluerem in ipsa loculi superficie, vbi corpus Martyris requiescit, inhærentem præbeat, pro ingenti munere accipiunt, & terram tanquam rem pretiosam reponunt; Nam si cui fortè facultas detur, vt ipsas reliquias attingat, id verò eiusmodi censetur donum, vt supremo voto nihil maius optari posse videatur.*

[a] S. Greg. Nyssen. in oratione in Sanct. Martyr. Theod. in Laur. Surio 9. Nouemb.

2 Descripsit graphicè, & iconicῶς ad viuum, quæ tunc & etiam nunc Vrgauone geruntur. Qua auiditate & solertia expetiti cineres, pulueres, & ossicula Martyrum, & quasi inæstimabiles margaritæ concupitæ, vt concinnè satis addiderit; *Hoc qui experti sunt, norunt, quique eo tenentur desiderio. Ipsa enim corpora perinde ac si viua, floridáque essent amplectuntur, & deosculantur, oculis, ore, auribus, omnibus denique sensibus adhærent, (& admouent) lachrymásque pietatis, & affectionis indices effundunt.*

3 Et planè factum, vt cùm extremâ cuiúsque mensis Aprilis Dominicâ singulis annis Deiparæ Virginis à capite nuncupatæ celebretur festiuitas, in eius æde in arduâ constita rupe in Mariano saltu, ad quam ex vniuersa Bœtica innumeri confluunt mortales, in regressu omnes, recto eorum itinere relicto, Vrgauonem diuerterunt, ac quasi quadam indicta pompali supplicatione integros dies singillatim aduenientes quà equis, quà iumentis, quà pedibus Sanctuarium adibant: Beatissimæ Virginis quasi cuncti iussu acti ad Martyres concurrebant. Eius certè auspiciis Vrgauonensis Ecclesia est illustrata, atque sub eius tutela, & gremio Sancti

iacebant

iacebant Martyres : nam ad eius templum ſpectat Sanctuarium, quod & valde propinquum.

4 Iucundiſſimus erat proſpectus , tot familiarum quaſi militares cohortes ordinibus diſpoſitis procedere , atque plurimos cum latomis , & foſſoribus gnauiter operam nauare , & terram eruderare, Fœminas,pueros & puellas ſolicita inquirere, & veſtigare, ſi qua colligentium manus effugiſſent oſſa.

5 Reſidebat Vrgauone vir pius ex tertio Seraphici Franciſci ordine, is frequens in Sanctuario , ibi de geniculis Beatiſſimæ Virginis Angelicas percurrebat ſalutationes : binúmque Campanulæ aduertit tinnitum : exiſtimauit horologij rotarum ſonitum fuiſſe. Acceſſit verò ad Giennenſem ibi conſtitutam crucem, quâ adoratâ, exiguæ campanulæ ſimilis binus pulſus aures eius perculit ; Conuertit tunc faciem ad horologium,ac quinque ſub eo intuitus eſt minimas luces aſteriſcis ſimiles ſubliuido colore. Surrexit inde , & abiit in aliam crucem , & meditationibus Dominicæ paſſionis intentus tertiò campanula inſonuit, atque aſteriſcos vidit in primam ingredi fornacem. Suauis tunc , quaſi ſanctimonialium concentus perſonuit , qui ad horæ quadrantem melica eſt producta dulcis modulatio , tremefactus manus , & digiti diriguêre : Cúmque ſtare nequiret, ad parietem corpus declinauit, & lachrymæ vbertim effluxêre. Opportunè adfuit vir nobilis, quo viſo animatus interrogauit an luces conſpiceret;vnam reſpondit;Diſceſsêre inde ambo.

6 Tertiâ poſt occaſum horâ honeſtæ matronæ tres in Sanctuario orabant ad ſecundam fornacem,& acutum campanulæ audierunt tinnitum, quinquiéſque terno pulſata ſonum dedit. Ad primum aduerterunt omnes,& etiam vſque ad quintum, atque ab horologij turre prodire ad eius pondera videbantur.

7 Adoleſcens nobilis iam declinante nocte ad Sanctuarium excubabat,inſonuit tunc argenteum velut exiguum cymbolum, adeóque acuto tinnitu vt ſenſus peruaderet, ac percelleret, modò bino, modò terno ſonitu, modicis interuallis ad integram durauit horam : in qua autem reſonaret parte diſcernere non potuit, nunc alia , & alia variabat. Abiit in excubiarum tectum, & offendit amicum, qui etiam eâ erat cuſtos nocte, & egreſſi vnà tinnitum abſque vlla hæſitatione audierunt. Ille autem metu exhorruit,credidit ſupra naturam.

8 Ex Sanctuarij excubitoribus nocte circiter intempeſtâ , quatuor argentei cymbali eumdem audierunt tinnitum , visúſque ſibi exire ex interiori fornace;Acceſsêre ad eam,inſonuit tum foris.Abierunt ad Sancti Nicolai ædiculam non longè ſitam, altiſſimum ibi ſilentium;Aduertêre tamen ſimul,per vias oppidi, qua ad portam , quæ Cordubenſis vocatur,

tendunt,

tendunt,quaſi cereorum lumina, quinque, vel tres pedes inter ſe diſtantia,non tamen à quibus deferrentur viderunt.Diuiſi perrexêre,vt quærerent,& inquirerent,euanuerunt tunc.

9 Septima Maij cIↃ IↃC XXIX quintâ poſt meridiem horâ dum foſſores inter Sanctorum,& horologij turres operi inſtant, inaudiit presbyter diœceſis viſitator campanulæ ternum inſonuiſſe pulſum, vti pulſatur in ſacro Miſſæ ſacrificio ad Sanctiſſimæ EVCHARISTIÆ eleuationem, vnde eſſet dubitauit,tres etiam aut quatuor audierunt operarij.

10 Vnus ex primarij templi beneficiatis paulò poſt ſolis occaſum in Sanctuario,aliis attentus, argentei exigui cymbali percepit vnicum tinnitum,quaſi exterius pulſatum:abiit inde in fornaces, iterùm audiit, ſed decimo ictu editus ceſſauit,ipſe verò expauit, & inhorruêre comæ.

11 Eadem nocte poſt tres horas anus ibidem pia & totidem argentei cymbali ictus inaudiit ad horologij turrim: Exhorruit, verùm mox interna conſolatione eſt oblectata.

12 Extra vallum in via erat fœmina, quæ in Sanctuario fierent notans, & eumdem argentei cymbali tinnitum audiit duodecim ictibus pulſatum; Erátque ibidem puella,quæ etiam percepit.

13 Auguſto menſe ſecundâ poſt meridiem horâ adoleſcens ex Sanctorum turris Cruce prima,vſque ad ſecundam, in qua paſſionis Dominicæ inſignia, plures procedere eſt intuitus Cruces,& trinum aduertit campanulæ ſonitum;Velociſſimum viſum,qui Cruces, & campanulam deferrent percipere non permiſit: at tinnitus eius ſe adeò impreſſit cordi, vt ſenſibus deſtitutus fuerit collapſus.

14 Hos ærei, & argentei cymbali tinnitus à pluribus auditos certiſſimò conſtat.

Ad Sanctorum corpora ſæpiùs cæleſti ærea impulſa ſigna multis exemplis probánt collectores.Verùm ſi fas diuinare,crediderim ex his Martyribus,vnum aut alterum ſacerdotem fuiſſe;argumento fuerint, quæ in viſionibus dicta, & dicentur. Hæc coniectanea ſunto,non autem, vt aiunt, ex tripode firma & certa.

CAPVT XXXIV.

Illuſtriſſimus Cardinalis Giennium reuertitur. In Sanctuario plures erectæ Cruces,cæleſtéſque apparent ab innumeris conſpectæ.

1 MEnſis Maij Crucis feſtiuitas Vrgauone ſolenni adſtante Cardinali ritu eſt celebrata, iámque diei veſper aderat;Illuſtriſſimus

Sanctua

Sanctuarium, omnium Sanctorum perluſtrat loca, Secretarium vbi condita leipſana inuiſit, ac omnia, quæ geri & agi velit ſedulò diſponit, ac Epiſcopo Neapolitano commendat: Foſſionem, & probationes continuari mandat: Declinante ad occaſum Sole Giennium regreditur.

2 In Sanctiſſimæ Crucis honorem, hæc Maij maximè in vniuerſa Hiſpania panegyres eſt celeberrima. Frequentes in vrbibus, oppidis, vicis, & etiam caſis, & tuguriis & viis, tam vrbanis quàm publicis in agris lapideæ, ligneæ Cruces ornantur eximiè, luminibus, floribus, roſeiſque ſertis, atque etiam bracteis aureis decorantur pulcherrimè. Crucis trophæum Hiſpanorum inhæſiſſe præcordiis iam olim crediderim, & Regibus eius oblatam ſpeciem hiſtoriæ noſtræ teſtantur: ſub eius ſigno & teſſera Rex Alfonſus cognomento Bonus, ingentem illam victoriam de tot millibus Arabum ad Nauas Tholoſæ decima ſexta Iulij eſt conſecutus; quo die annua triumphi Sanctæ Crucis ſolennis in Hiſpania feſtiuitas celebratur.

3 Nihil ſanè noſtris ingens accidit, quod hoc præclaro non inſigniatur ſigno. Vbi primùm fulgores coruſcare Vrgauone cœperunt cæleſtes, notatus locus Crucis honore, ac tunc municipes certatim erexerunt aliquot. Pulchram ferream ſtructura, auro, ceruleóque colore conſpicuam eius collocauit confraternitas.

4 Ex vrbibus etiam allatę ſunt plures. E Giennio magno apparatu, cohorte militum, pluribúſque aliis comitantibus eſt adducta, ſicut etiam ex Anduxar militari etiam vexillatione ad duo etiam circiter hominum promiſcui ſexus, ætatis & conditionis millia progredientibus. Ab Antiquaria etiam alia non parua manu & tibiarum muſico concentu. Excipiuntur omnes à Clero & populo: fit magna celebritate proceſſio, eadémque & religione Crucis conſtituitur vexillum; Poſt adorationem, ad templum accedunt primarium, peractâ Synaxi, viſitato iterum Sanctuario diſcedunt.

5 Ex Pontificienſi oppido Porcuna magno apparatu funalium multitudine die Dominicâ cũ ſabbato ieiunaſſent, & exhomologeſi ſe expiaſſent; Ciues omnes, fœminæ plurimæ nudis pedibus, lento gradu, & magna religione iter fecêre: quaſi, immò verè triumphali pompa magno ſilentio, & deuotis deprecationibus omnis Clerus & populus ingreſſi, & ſuſcepti Sanctuarium adierunt, in eo collocatâ, & adoratâ cruce in templum proceſſerunt, vbi magnâ ſolennitate Diuina ſunt celebrata, & tractatus per Religioſum eſt habitus. Plurimi in fine ſacrorum myſteriorum participes ſunt, alij pridie fuerant refecti: lætiſſimi omnes hoc ſacro, religioſóque functi pietatis officio domum regrediuntur.

6 Ex aliis etiam oppidis ſunt Cruces inlatæ, quibus circumſeptum

Sanctuarium,& pia illa sunt exornata loca. Mos est Ecclesiæ peruetustus, vt Christianorum sepulchra crucibus insigniantur, qui etiam in Hispania maximè obseruatur, hac præclarissimâ demonstratur notâ, sepultos sub Crucis militasse vexillo,ideóque ipso insignitos.

7 CHRISTI D. N. monumenti fastigium, & culmen summum auro vestitum, auream magnam habuisse Crucem testatur Beda [a]. In martyrum etiam sepulchris erectas plurimi tradunt. In conditorio marmoreo, in quo Martyres Cordubæ sunt reperti, Crux in interiori parte erat sculpta.

[a] De locis Sacr. ca. 2.

8 De Sancti Iuliani sepulchro Gregorius refert Turonensis. [b] Memorias Martyrum & tumulos Sanctus Gregorius Martyr curauit crucibus ornari.

[b] Surius tom. 5. Euthym. in Pan. tract. 20.

9 [c] Mater Soldano suum insigniri Cruce Mausoleum iussit,& collocata est,sed ablata, Angelus super pyramidem pulchriorem restituit.

[c] Baron. tom. 12. anno 1169.

10 Recentissimum in Hispania exemplum:mons Illipulitanus ad Granatam innumeris est illustratus Crucibus.

11 Congruit aptissimè Martyribus Crux: exaltarunt illam propter CHRISTVM D. N. passi. [d] *Bonus ordo nostri profectus*, ait Ambrosius, *vt prius ipse Crucis suæ trophæum erigeret, deinde Martyribus traderet erigendum.* Hoc sunt triumphali coronati trophæo, superno acti impulsu excelsas ad Martyrum tumbas erigunt fideles Cruces.

[d] In Lucam cap. 1.

12 Atque huic pietatis intermisso operi manus Dominus admouit, & neglectum,vt innueret,quàm sibi gratum fuisset, instauratum, & continuatum voluit,ac quasi in memoriam reuocauit amplissimum illud beneficium à se Hispaniæ collatum insalon Castulonensi ad Tolosæ nauas, cuius nuper memini. Eodem quippe Iulij decima sexta die, Cruces apparere cœperunt,vt i ex attestationibus colligo: Itaque ipsa triumphali festiuitate cIↃ IↃC XXIX. initium fuit apparitionum: Antequam ab omnibus notarentur, per aliquot dies conclamatum Cruces conspici cælestes: quia verò non omnibus conspicuæ,non omnes credebant. Peruasit tamen fama: Conueniebant plures ad Sanctuarium,si fortè daretur eas cernere. In B. Mariæ Magdalenæ peruigilio ad solis occasum confluxerant plures in Sanctuarium, eásque viderunt; Deinceps rei veritate omnes confirmati cernere omnes curábant, atque die vigesimatertia Iulij plures in Sanctuario erant,illis dictum in postica castri parte Alcazarexo Crucium species obiici: acurrunt omnes, Clerici & Religiosi cum aliis oppidanis. Ex Seraphica familia presbyter, & concionator iuratus est testatus,vt ipse aduerterat. Non omnibus visionem perspicuam,sed quibus à Domino concessa;Obtutum ab obiecto superari, eleuaríque oportere,pluráque in hanc dissertabat sententiam, erant enim tunc cum Religioso

ligioſo plures,qui Cruces non conſpiciebat,ex ea autem cauſſa ea fuit in opinione,quia nec ipſe videbat. Tandem Domino annuente quatuor vidit Cruces diuersâ formâ & menſurâ:earum color quaſi cæleſtis, ac ſi ex nube clara, denſa & pulchra mira arte fuiſſent ſtructæ, eximiáque proportione compactæ. Earum contuitus tandiu manſit, quoad ipſe cuncta notauit,nec ſe ſpecie deceptum, ipsáſque aduertit verſus Sanctuarium moueri. Dilapſæ ſunt omnes ſimul,eo tamen emicante cæleſti ſplendore,& pulchritudine,vt nemo vel ſumma incredulitate,vel peruicacia temerarius ambigeret, aut aſſereret vlla vel naturali aut magica illuſione & cauſſa huiuſmodi fuiſſe apparitionem; Mirificóſque in ſe eſt expertus effectus. Variis enim occaſionibus Domino ac eius Martyribus vouerat ſe crucem erecturum,quando ipſi conceſſum illas cernere,cùm multi hoc prodigium referrent. At ipſe etiamſi viderat ex oſſibus fulgores emitti in Sanctuario,non tamen eſt perſuaſus vt crederet, & votum ſoluerer:ſed iam voti reum & damnatum nouit.

13 Ea ipſa nocte cum religioſo aderat presbyter ſanctæ inquiſitionis miniſter,& modeſtia & virtute ſatis notus,qui eadem,quæ Religioſus,eſt atteſtatus. Addidit,plures fuiſſe apparitiones alias, nec eodem in loco, nec modo euanuiſſe ſemper ſplendida pulcherrimáque claritate. Cùm autem primùm eas conſpexit,eo eius flammatus eſt animus motu, vt lachrymæ abſque vllo illarum ſenſu vbertim profluxerint: ac quodam reuerenti metu perculſus in genua ſe venerabundus demiſerit. Sequenti nocte cùm alij conſpicerent, non autem ipſe, deinceps tamen interdiu, noctúque conſpexit,ſicut innumeri alij.

14 Religioſus ex eodem ordine concionator ex Valentina prouincia, diſcalciatus,& pedes ex Sancti Franciſci cœnobio, quod ad Adamuſium in Marianis montanis ſitum Vrgauonem aduenit. De viâ, æſtus, & itineris fatigatus labore Sanctuarium adit: cùm præ laſſitudine ſtare vix poſſet, ſupra excubitorum tectum tres conſpexit cruces fulgoribus ſplendentes,earum conſpectu adeò eſt recreatus,vt non ſe fatigatum ſenſerit, ſed maximè oblectatum.

15 Pari numero,modo, & forma has crucium apparitiones non percipiunt omnes;cauſſas nouit,qui eas oſtendit. Teſtes alij depoſuerunt tres ab eis conſpectas cruces die eadem vigeſima tertia Iulij, forſan diuerſa hora. Vnus ex his Damianus teſtificatus eſt, nonnullis ante diebus in Sanctuario plurimas in aëre à ſe conſpectas cruces,quarum numerum ob multitudinem inire nequiuiſſe; Eas ex Caluarij turri procedere pulchritudine, materiáque pari non magnitudine, ſæpiúſque apparere & euaneſcere.

16 Atque idem Damianus poſtera nocte duos eſt intuitus crucium or-

dines, æquali distantia, alterum ad ipsas Cruces ibidem constitutas, alterum superiorem. Progrediebantur autem ad Martyrum turrim sæpiúsque apparebant, & dilabebantur. Asseruit etiam deinceps per viginti continuos dies Cruces vidisse tam diurno, quàm nocturno tempore, candore & pulchritudine speciosissimas, & in Sanctuario, & in Caluarij turri non numero eodem semper. Depositio huius testis fuit quarta Augusti.

17 Ex oppido Ellerena Vrgauone moratur pingendi arte non imperitus, is crucium apparitionibus nullam adhibebat incredulus fidem, ex curiositate ipsas cernere optauit; Ad solis occasum abiit in Sanctuarium, audiit in caluarij turri apparere, celeri illuc festinauit cursu, atque è templi cæmeterio diligenti studio & attentâ intendit mente: ac vidit instar processionis, duos distinctos crucium progredi ordines, & mœnia circumire, quasi è Giennio exiissent, erat iter. In earum medio erat splendidissima lux, ac si dies esset illustris, illáque ex magna resultabat crucium multitudine. Duobus ordinibus constitutis binæ & binæ ad turrim cùm peruenissent stetêre, & aduenientibus aliis, aliæ euanescebant, manentibus illis, quæ in medio eximiam illam emittebant claritatem, simûlque euanuêre. Hoc prodigiosum spectaculum per mediam mansit horam: postquam dilapsum est, crux apparuit pulcherrimâ formâ, opere, & materiâ, nouem circiter alta pedes, lata vnum. Metus, & reuerentia, cum mirifica hilaritate ipsius occuparunt animum, atque Deo gratiis actis sæpiùs hoc est delectatus spectaculo.

18 Duo ex familia Carmelitarum nudipedali religiosi ex Anduxar Vrgauonem rara nocte peruenerunt; Accito amico qui eos hospitio exceperat, eò accessêre vnde Cruces conspiciebantur. Iunior scholasticus sæpiùs in via commemorationem Sanctorum cum oratione recitauerat, vt eorum intercessione illarum frueretur visione; plures conspici clamabant, at ipsæ magna solicitus cura non videbat, tunc de geniculis oratione dicta à Sanctis impetrauit, quod concupierat. Inter Cruces Sanctuarij mœnia constitutas Crucem candidam ex densa quasi nube, cùm ab occidente irradiatur sole, & forma & proportione eximia, & eleganti, quam vt conspexit, reuerenti timore, & lætitia perfusus toto contremuit corpore, inhorruerèque cincinni: magnoperè postea oblectatus Domino gratias egit, factáque iterum Sanctorum commemoratione tres alias vidit Cruces priori similes, non tamen splendore. His dilapsis aliam vidit, quæ primam referebat; Inde fratres, & hospes digressi in Sanctuarium post orationem, inter Sanctorum, & horologij turres in muro plures apparuêre Cruces, quasi ex vna in alteram procedentes turrim. Alij eamdem visionem retulêre.

19 Homo

19 Homo cumprimis animo atroci, & duro, vitáque ſcelerum non vacua, trigeſimum ſeptimum exegerat annum ex oppido Puertollano Vrgauonem venerat, Cruces intueri, deſiderabat. (Refero quæ ipſe iuratus eſt teſtatus.) Quòd cùm ipſe in xenodochij eſſet via paulò poſt meridiem, rumore audito, ad cuiuſdam ciuis ianuam plures adſtare, qui Cruces in Sanctuario cernerent, illuc abiit: cúmque diligenter ſolicitus ad horæ quadrantem intuitus fuiſſet, nihil prorſus vidit, ac ſubſannatione irridens conſpicientibus dixit: Ego Cruces quidem deſpicio ſed fixas & ligneas. Nec certum credens quod dicebatur diſceſſit: Sed ſuam pertæſus peruicaciam, intimo propoſuit cordis motu, Si has mihi Deus conceſſerit, vt prodigioſas adſpiciam Cruces, Tertiariorum induam habitum, & in eremitorium me conferam, inibíque contendam Domino Noſtro inſeruire; Et perdita, & omiſſa reſarcire lachrymis, & pœnitentiâ commiſſa expiare peccata. Simul atque in corde ab eo hoc eſt propoſitum, in Sanctuarium reſpexit, atque in Martyrum turri inter duas Cruces apparuit tertia cœleſtis nouem alta pedes, vnum lata, candidiſſima, eximióque pulchra ſplendore. Limbus vniuerſam ambiebat æthereo ſpecioſus colore, atque totius ea erat pulchritudo, vt verbis explicari non poſſet, eóque durauit ſpatio, quo ille formam notare, & conſiderare, & perſpicuè recognoſcere valuit. Mox euanuit. Deinde ex inferiori Crucis parte, cui paſſionis Dominicæ inſunt inſignia, aduertit cœlum verſus Crucem primæ ſimilem eleuari, eoúſque oculorum euaſit obtutum. Demum magno numero variæ tum maiores tum minores apparuêre Cruces, & inter ligneas ibi conſtitutas progredi, & regredi, & in cœlum aſcendere, & deſcendere ab eo ſunt conſpectæ. Hac viſione perculſus credidit ſe à Diuina maieſtate fuiſſe vocatum, atque certò nouit, quòd eum Dominus à miſera, & perdita auocabat vita, vt ipſi inſeruiret, adoleſcentiam quippe ſuam & iuuentutem prauis, turpibúſque corruperat moribus, atque eorum cauſſa centies, & amplius, periculum adeò capitis, vitæque ſubierat diſcrimen, vt rei capitalis bis damnatus, pluréſque alios miſeros fuerit perpeſſus caſus; ac ſe probè meminiſſe affirmabat, nunquam in his, nec parentum, nec quorumcumque vel amoris, vel neceſſitudinis nexu deuinctorum, etiam iis in occaſionibus, quibus natura ipſa compellit, collachrymaſſe, tetricâ ſua natura, prauáque, & terribili induratus indole. Sed tanto viſo prodigio profundere largiſſimè cœpit lachrymas, eo feruore, vt pudore magno confuſus fœmineam pertæſus actionem, internè conſiderauit, vnde illi tam ſubita metamorphoſis, & prouenniſſet mutatio: comam inhorreſcere ſenſit, ac pileum vix in vertice retineri. Admiratione obſtupefactus à turba digreſſus abiit, atque deinceps eas Crucium apparitiones illi ſiue vigilanti, ſiue dormienti

phantasia imaginarias repræsentabat, eiúsque animo illius veritatis firmissima inhæsit fides, ac quoties ex ea die contingit per eum transire locum, ex quo illas conspexerat simili fruebatur visione. O mira Diuina virtus, & potentia, quæ hominem perditum è vitiorum cœno, & sentina, duro, obstinato, obcæcatóque animo abductum traduxit ad lucem, lucísque vsuram.

20 Ciuis Vrgauonensis cruces cùm non videret desiderabat maximè; Erat in loco, vbi plures se conspicere asserebant, minimè tamen ipse intuebatur. Cùm triduum magna perstitisset religione, nec spiceret, afflictatus est, alióque audiebat asseuerantes ab se pulcherrimas adspici: summâ tamen in Dominum fiduciâ perseuerabat, & se quibus opus credebat, præparabat. Nocte quadam iam ingruente castri mœnia circumiens, desiderio actus peruenit ad homagij turrim, in cælum suspexit, atque tunc oblata illi immensæ altitudinis Crux, ipsúmque pulchritudinis & formationis adspectus exterruit, sed cum oblectatione. At est contristatus, quia nec in Sanctuario, nec eo candore, & claritate, quibus alias fulgere audierat, atque ideò auidè eas auebat intueri. Abiit in eum locum, ex quo in Caluarij turri conspiciebantur; Circumspicit, & eius turris Cruci CHRISTI D. N. affixam notauit effigiem. Obstupefactus se existimauit deceptum, iterum suspexit attentiùs magna cum reuerentia, & clarè ad sex passus Seruatoris D. N. formam perspicuè, & splendore & candore fulgentem vidit. Nulli ausus est dicere; quater, aut quinquies ea sibi est obiecta species; dicere tamen iam tentabat, sed ea tunc carebat visione. Deinceps & in Sanctuario, & Martyrum turri sæpiùs plures fulgentes lucidas, ac speciosas suspiciens veneratus est Cruces.

21 Ex Argionula in Sanctuarium venit adolescentula cum matre: Sexta feria ad tertiam vigiliam dum orat, in Martyrum turri conspexit virum in albis illustrem, qui genuflexione Crucem ibi sitam veneratus, exosculatus est. Mox diuersa altera accepta, ad horæ mansit quadrantem & euanuit; Credidit illa ipsam cælestem & expauit.

22 Eò ipso mense, nocte, & hora mulier etiam ex Argionula orabat in Sanctuario ad Crucem de Anduxar; Ex Martyrum turris rimis fulgetri instar splendores intuita est emicare. Ex his verò viri duo, & infantulus non biennio maior exierunt in candicantibus vestibus, ac in eius turris ascenderunt fastigium, & ibi Crucem constitutam venerati, & circulo formato, descenderunt, & in eum ex quo egressi, regressi sunt locum: atque adeò mulier est exterrita, vt infantulum, quem in vlnis habebat non senserit collapsum, vel ablatum, humi iacentem inuenit: ac eo permansit territa die.

23 Ex eodem oppido adolescentula secunda noctis hora in forea iuxta

Sanctorum

Sanctorum turrim, quasi fulgur fulgentem conspexit lucem, in eáque imago quæ CHRISTVM D. N. cruxifixum, non tamen integrum referebat, & splendorum radiis fulgebat; Matrem tunc conuenit, sed animo consternato, sensibus destituta in eius cecidit gremium.

24 Sorores duæ virgines, & religiosæ pro more in Sanctuario orabant, ac cælestes cupiebant Cruces videre. Seniori in priori Martyrum turris Cruce CHRISTI D.N. imago est repræsentata, capite spinis coronato; Oculos illa demisit in terram, metuens, ne falsa phantasiæ deciperetur illusione: sed cùm iterum suspexisset, eadem species est oblata, capite inclinato cum corona, manibus pedibúsque clauis suffixis. Cùm meminisset in ea Cruce nullam esse CHRISTI D. N. effigiem, exhorruit exterrita, at à sorore quæsiuit, an in illa aliquid spiceret Cruce; quæ in summo capitis formam se videre respondit. Conticuit illa ac per duas horas mansit in mirifica ea visione.

25 Posterâ nocte eædem sorores Sanctuarij aditum ingressæ, interius intrare adstantium frequentiâ impeditæ sunt. Increbruit mox constans rumor, Cruces apparere cælestes; Senior super Giennensem Crucem splendentem alteram vidit, & in cælum subleuari, eius forma & claritate notata consumptam aduertit. Tunc eius rapti sunt oculi in eam Crucem, in qua superiori nocte CHRISTI D. N. ei fuerat effigies oblata, eámque ipsam intuita tacitá per horam in eius mansit contemplatione suspensa.

26 Incredibilia prorsus Patri sacerdoti cuidam ex Seraphica familia, & falsa videbantur Vrgauonensia prodigia. Missus frumentum emendicare; ad aream quatuor circiter distãtem ab Vrgauone stadia accessit; in ea & Prædicatorij ordinis religiosus, duóque iuuenes rusticani. Hi de iis, quæ Dominus mirabilia operabatur, confabulabantur; inaudiit Frater Franciscanus, & irrisit, tanquam minus vera. At vnus ex agricolis dixit; nox appetit, & sexta est feria, forsitan cernes, quæ minus vera, & incerta credis. Apparatâ refectione simul adsident iuuenes, eâ subitò relictâ, genu flectunt versus Sanctuarium, inde in illud prospectus, & pugnis pectora tundunt, Patríque dicunt Franciscano: IESVS, IESVS! (Hispanismus ad indicandam ingentem admirationem.) Annon perspicuè, manifestéque conspicis, O Pater, fulgentes, & coruscantes luces? Adhuc eris in tua incredulitate? Tunc ille attẽtè suspexit, & est clarè intuitus è Sanctuarij turris culmine igneum irradiantem exiisse globum, & in templi præcipui propinquum abiisse Campanile, atque circuitu facto resolutum; Mox & alterum minorem, deinde & tertium vtrúmque non adeò lucidum, simili tamen discursu euanuisse. Hoc compunctus spectaculo ingemuit, & maximè doluit quòd his non adhibuisset fidem. Piè affectus,

nec

nec refectionem,nec somnum curauit,sed in eorum,quæ viderat, consideratione,noctem transegit,séque sensit mutatum,& affectum erga sanctos Martyres,& Sanctuarium.

27 Id magna cum religione sæpiùs visitauit, & Cruces inibi vidit cælestes per plures dies,earúmque contuitu duodecies mirum in modum est oblectatus. Non eodem semper numero ternas,quaternas, aut quinas:simili,paríque formâ,non mensurâ,variéque discurrere, & in aëream eleuari regionem,& dilabi notauit. Aduertit etiam cerulei,siue aërei splendentis esse coloris ; Hac eximia motus visione Dominum , Sanctósque suos glorificare non desinit.

28 Plurimi hac Crucium apparitione è Clero,& Religionibus,ex nobilitate,plebe, omnis ætatis & sexus conspexêre ; innumeri enim Vrgauonem contendebant,& concurrebant,alij religione, alij aliis ex caussis , & omnibus concessa visio,etiam nunc hoc ipso mense Maio ; sed iam rarò, nec omnibus vt in primis illis mensibus.

CAPVT XXXV.

Cruces olim,etiam nunc erectæ,& sæpiùs apparere conspectæ.

1 IN accepti beneficij gratiarum actionem , ac perennem posteritatis memoriam,Cruces erectas peruetusti moris,& ritus in Ecclesia fuit, isque etiam alias ob caussas à fidelibus semper est obseruatus. Vrgauonensis castri pars lucibus est illustrata:in ea Cruces erectæ , & constitutæ sunt,quæ diuinum repræsentarent beneficium,& triumphalem gloriam, simúlque Martyrum cruces,& cruciatus [a]. *Domini sanè Crux Martyres pullulat,& germinat.* Hi profectò ipsius sunt gemmantia, virentiáque germina. Hoc clarissimo Dominus stemmate voluit insignitos , & indicatos; Atque,quia homines in hoc præstando officio parci fuerant , quasi parsimoniam notauit,ac non ligneis,ferreísve , & marmoreis vel pretiosioribus,sed cælestibus dignos Martyres declarauit.

[a] Chrysost.

2 Frequenter diuersas ob caussas in sublimi aëris regione, & etiam aliis terræ locis,& oris Cruces,Domino disponente , sunt conspectæ. Hoc salutari signo interdum ingentes siue secundos , siue aduersos significauit euentus;Nonnunquam etiam,vt humano notum generi hoc vitali signo muniri oportere , qui veram cupiunt salutem consequi : & quæ hominibus horribiles,vti vile & abiectissimum, & despicabile mortis suppliciũ, non ampliùs ignominiosum , & ignobile , sed felicissimum & faustissimum auspicium.

3 Eius

3 Eius celeberrimas apparitiones Ecclesiastica omnis narrat historia, quibus Vrgauonenses iure annumerari debent. Omissis externis, quæ in vnum à multis sunt collectæ, ad domesticas accedo: Hispania enim nostra magno cum eius beneficio hoc cælesti est etiam illustrata in Arabica miserrima eius clade, Garsiæ Eximenio primo Suprarbiensi Regi, innumera cũ barbarorum multitudine dũ esset congressurus, Rubea Crux velut aureo in clypeo super viridem apparuit quercum; Ipsa conspecta, ei eiúsque militum exiguis copiis certissimam victoriam significauit.

4 Innito etiam Aristæ Quinto Suprarbiensi Regi argentea cælestis Crux Cyanea impressa scuto in aëre apparuit: Sumpsit ille in stemma, & vexillorum militarium ornamentum, quo Suprarbienses, & Aragonenses sunt vsi Reges.

5 Regi Alphonso, ob insignem pudicitiam Casto cognominato, Angeli, qui peregrinos referebant, & aurifices miro opere Crucem auream gemmis, ac pretiosis distinctam lapidibus fecerunt, quæ hodie Oreti extat.

6 Alphonso Henrico primo Portugalliæ Regi CHRISTI D. N. Cruci affixi in aëre apparuit imago, & victoria promissa discessit; Qua maximè animatus visione quinque deuicit, & occidit reges, & innumeras barbarorum fudit copias.

7 Alphonso octauo ad Nauas Tholosæ Crux triumphalis, cuius iam memini apparuit.

8 Inclytus ille Alburquerquius ad insulam Camauanum intra Erythræi maris fauces, cũ classe nauigabat [a]. *Ad solem occidentem Purpureæ Crucis in cælo signum præfulgens aliquando apparuit. Quo viso Lusitani omnes venerabundi procubuêre; Et Alburquerquius, vt erat eximia pietate, sublatis ad eam manibus, clara voce fusus in preces, O Crux,* inquit, *nostræ redemptionis argumentum! O signum Christianæ victoriæ. O decorata pretiosissimo sanguine D. N. IESV! O Diuina arbor, cuius vitali fructu letalis quondam plantæ expensus est fructus! In te, in te inquam spes nostras habemus repositas. Te profitemur, agnoscimus, & adoramus, ac suppliciter petimus, nobis inter tot pericula terra, marique præsidio sis. Ab ea precatione obortæ omnibus lachrymæ, & index fidei, ac religionis clamor ad astra sublatus est. Tunc consono clangore hinc inde tuba concrepuit: & omnia tormenta displosa. Deinde candida nubes conditam Crucem sine fine defixis in cælum oculis Lusitanorum eripuit.*

[a] Maffeius rer. in hi- car. lib. 5.

9 Plura sunt in Hispania oppida Sanctæ Crucis sublimata cognomine diuersis ex casibus. At quod in saltu ad Castra Iulia, siue Iuliũ Præsidium vulgò Tujillo, in valle id nomen est sortitum: quòd in cælo Crux ibi conspecta ciuium & vicinorum prisca affirmatur traditione. Nunc etiam conspici splendidam lucem ab agricolis, opilionibus & iter agentibus singulis totius anni noctibus, tum citiùs, tum tardiùs variante ostensio-

ne compertissimum omnibus: Certissimam, & à se visam vir pius tradit eximia eruditione, & religione præstanti [a]. Pater Franciscus Porto Carrero è sacra IESV societate, cuius apud me bonósque omnes magna & indubia fides. Oppidi huius dominus D. Ioannes de Chaues, & Mendoza Philippi tertij, nunc quarti à consiliis in supremo Castellæ Regio, & cubiculi sanctiori Senatu: cuius eximiam pietatem, egregiásque virtutes, ac insignem iuris, bonarúmque artium peritiam consultiùs dixerim silere, quàm parcè vel diserto, longóque prosequi elogio. Cui impar fuero encomiastes.

a In vita S. Ildelphonsi cap. 24.

10 Huius apparitionis rara vel nulla in nostriis historiis mentio, sicut & aliarum multarum. Sed scriptorum penuria, ne dicam etiam & ignauia prætermissæ sunt.

11 Sapienter sanè Crucis apparitionē in diœcesit Coloniēsi Vicani sunt interpretati, [b] *Huius*, inquit auctor, *vici incolæ Ecclesiam petentes Dominici diei festo*, &c. *Liberum quaqua versum dirigentes intuitū, contra montes prospicientes, repentè signum Crucis cælo contiguum quasi dependens vertici eius imminere cernebant. Quod cum pulchrum colorum varietate distinctū singuli mirarentur, qui prudentiores erant, ingens dicebant esse ostentum, per quod portenderetur triumphum Crucis inibi digna veneratione frequentandum, Cultoribus loci fide Crucis, non armis visibilibus semper triumphantibus.* Pulchra sanè, prudénsque sententia non à rusticellis Vicanis, sed à sophis aptissimè huic tempori, & occasioni congruit.

b Surius. 4. Decemb. in vita S. Anuonis l. 3. cap. 20.

12 Fauet etiam & Angeli explicatio eorum, quæ Magnæ Armeniæ Gregorio Episcopo in visione ostenderat [c]. Apertum cælum vidit. Ab eóque fulgentissimum emissum iubar; In lucis huius parte Crucis signum constitutum: In altera verò magna igneorum altarium multitudo, & super vnumquodque Crux formata ex eadem materia. Hanc, & multarum aliarum rerum ostensionem Angelus est interpretatus: Lucem diffusam in vniuersam terram dilatationem Euangelicę prędicationis significari; Signo autem lucidæ, fulgentísque Crucis Sacerdotium designari. Cruces igneas super altaria itidem ignea præmonstrari, quod igne Sanctissimi SPIRITVS incruentum, quod in holocaustum offertur, sacrificium, offerri in memoriam, & gloriam eius, qui pro nobis est crucifixus, dixit, & plura alia. Præclarè Petrus Damianus. *Magnum sacramentum Crucis, nec est aliquid hoc Sacramento sacratius. In ea Martyr Martyrum caput, & Martyrij forma est appensus: Crux igitur iungit cælum & terram: CHRISTVS D. N. trahit omnia: Leo rugiens ibi ligatur: Angelus confœderatur: & homo, totúmque per eam reficitur, quidquid per eam fecit manus Altissimi.*

c Surius 30. Septembr. Anno. 310.

CAPVT XXXVI.

Cardinalis Vrgauonem iterum proficiscitur: inueniuntur & alia corpora.

1. SIgnorum gratia peculiaris est dos Ecclesiæ à CHRISTO D. N. promissa [a]. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur.* Miracula nimirum subsequentur. Stabilita iam fide, & Euangelio regnante, & florente eorum minor, aut nulla necessitas. Beatissimus Augustinus garrientes, & irridentes deiicit aduersarios [b]. *Cur, inquiunt, nunc illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere necessaria fuisse priusquàm crederet mundus, ad hoc, vt crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Sed & magnus Gregorius [c]. *Signa hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt: vt enim ad fidem crescceret multitudo; Quia & nos cùm arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque in terra coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Rariora licèt, nullo tamen in sæculo defuerunt in Ecclesia Catholica: ad eius necessitatem, vtilitatem, ac Domini gloriam, & Sanctorum honorem ordinatissimè ipso disponente eduntur. Hisce autem diebus adeò eorum increbruit multitudo, vt nõnulli ambigerent & dubitarent certa, prudentiores in ingentẽ raperentur admirationẽ, quia indubia fide vera.

[a] Marci 16.

[b] Lib. 22. de ciuit. Sect. 18.

[c] Homil. 29. in Euãg.

2 Cardinalis re matura discussa, & expensa & per viros graues disputata existimauit Cruces & alia prodigia planè portendere, & significare non omnia Martyrum pignora reperta, restare alia, quæ inquiri oportere: atque ipse Vrgauonem iterum proficisci decreuit ea vestigaturus. Vniuersa relicta familia comite Episcopo Neapolitano impiger perrexit; Octobris erat initium, & æstiuum temperarat calorem. Messe collecta nullis ibi vindemiæ torcularibus, aliísque curis expediti municipes operi accincti optabant incumbere. Exceptus Pastor lætissimè Diuinis imploratis auxiliis & auspiciis, vti familias diligens pater, solérsque procurator fossionis locum fossoribus & latomis designat. Inter Sanctuarij primam & Martyrum alteram turrim ad muri fundamenta non antea effossum eruderari iussit.

3 Magna lapidum telluris ac ruderum congeries indigesta egesta est & moles, ad eam plurimis concurrentibus, & laborantibus, Puelli toties præmonstrati caput est effossum, fractum tamen omnium animos magno affecit dolore, integrum operæ nimia comminuit celeritas. Dum properat incautus, quod non aduerterat sarculo fregit; Mixtum tristitia gaudium. O quale omnibus spectaculum! Spes crescit, & augetur; Animantur

mantur omnes ad opus: Auctus & affectus, maximè cùm Principem cum suis Sacerdotibus matura, diligentíque cernunt inuigilare cura. Inuenitur saxum non paruum cretâ obductum, huic manus omnes articuli inhærentes, videbantur eiusdem puelli quasi glebam apprehendisset, digitísque adstrinxisset: nec longè reperti spinæ spondili non omnes, & etiam costæ nonnullæ. Candida omnia, & odore non ingrato, sed grato & suaui, ipsum vda humectáque minuebat tellus. Vbi primũ prima hæc pretiosa reperiri cœpit vena, ingenti perfusus Cardinalis lætitia in aliam se demisit foueam, sacráisque ipse reuerenter excepit exuuias, collegit & articulos. Quos vt conspexit, erumpentes continuit lachrymas, interne tenerrimè animi motum oculi indicabant. Populi clamor in cælum, æra sonant, & roboant, nóxque omnes à labore domos remisit.

4 Prospera postera cunctis lux illuxit: manicant omnes ipsam præuenientes; Alterum inueniendum præsagiunt thesaurum. Eruitur ingens cretæ, & telluris immundæ vis: Aperitur reperta fornax carbonibus, cineribus, & ossibus diues, & opima Non incautè, sed cautè fossores terram eruunt, ne vt pridie fractum omnes contristet cranium: Aduertitur apparere; Descendit Cardinalis & diligenter à Sacerdotibus effodi curat; Ab his caput integrum & magnitudine & candore speciosum se offert eleuandum. Pulchritudinem augebat corona conserta non gemmis, & auro, sed aculeis, scorpionibus, clauis & vngulis ferreis plexa, speciosior sacrum redimibat verticem. Accessit magnus Sacerdos, cum, & ferrea excepit sinu ferrea instrumenta tempore, & humido situ deformata & consumpta & cretata. At illæsum in tanto squalore quasi in conditorio sine vlla corruptionis nota aduertit & miratur.

5 In eadem fornace inuentum & aliud paruum caput vti pueri, vt ex eo iudicium, immò dolor, saxis vt indicabat petitum & confractum. Inhærebant ipsi, quasi innata viderentur.

Tertium demum integrum effossum cranium cum cruris tibia & manuum, ac pedum articulis. Reliquos corporum artus, & ossa in candidas mutarat flamma fauillas, ipso cruore, & crassitudine pingues, sicuti, quæ in aliis sunt repertæ fornacibus. Ingens vniuersis lætitia, immensúmque gaudium, ac si iam portum attigissent optatum, hilare vocibus est grande conclamatum celeuma; Æreus tinnitibus crebrescit & personat fragor: mutuò sibi omnes gratulantur.

6 Mœnia inter & vallum Sanctuarij vniuersa fuerat effossa fossa, nihil reliqui supererat, cùm omnia diligenti fuissent cura quæsita & peruestigata Latomos latebras, rimásque turrium Cardinalis iussit peruestigari, & siquid interius occultum scrutari. Eas illi tentant, nequid lateret, lateres, lapidésque amouent: sed solido constructa se cæmento affirmant.

Verùm

Verùm mihi, ni fallor, alia restasse intentata postea sunt visa; Si quid adhuc latet occultum Dominus opportuno manifestabit tempore.

7 Castri puteus altissimus expurgari cæptus fuerat: Opus continuari iubetur: Inuenta comminuta ossa non multa, vix aliqua collecta; Plura humo permixta fœminæ & pueri veluti formicæ quærebant; Miculas & exigua fragmina non sine sudore, & labore collegêre; ex iis, vt dixi, osiculum cruore prodigiosum Alcalaense. Peruentum tandem in imum, finis eius rupes durissima æstate sine humore, hyeme stillicidiis occultísque venis, quasi cisterna aquis abundat.

8 His peractis Cardinalis ex piis, religiosísque intellexit viris in Sanctuario adhuc coruscationum, & luminũ cõtinuari fulgores, atque XII. Octobris sexta feria, tertia post Occasum circiter hora Sanctuarium ingrediens suauissimo est perfusus odore: simul & duo, qui eum comitabantur familiares. Explorare voluit, an superiora peruaderet, ascendit in mœnia, notauit in ipsa etiam ferri. Offendit inibi quatuor ex Seraphico ordine fratres, Giennensis cænobij Guardianum cum duobus primariis lectoribus Sanctæ Inquisitionis Theologis, & prouinciæ diffinitore, qui Virgauonem nuperrimè aduenerant Martyres veneraturi, & eâdem perfusi fuerant odoris fragrantiâ. Descendunt omnes, & in ipso Sanctuarij aditu intentior adspirare cœpit odor: auxit & pietatem & religionem erga locum, & Martyres.

9 Interius ingressis Ambareum suffimentum, incensa Arabica Indicáque thymiamata, balsamo, cinamomo, rosis, & liliis, aliísque floribus permixta vaporare videbantur. Cardinalis solitis licèt odoramentis ea superiora esse nosset, ne in tenebris aliqua subesset fraus, indagare & odarari vnde essent voluit. Iubet accensa cerea adduci funalia, atqui omnium ea erat sententia, humanas pigmentariorum artes, ac leplassariorum opes, & merces, eorúmque puluerum & vnguentorum effusiones præsenti quo fruebantur odore superari. Nihilo secius luminum cuncta prospectari placuit claritate: nihil non exploratum: superna esse ex virtute crediderunt omnes, tum ex iis quæ perscrutatione compererant tum etiam quia locus apertus, & Euri flatus valenti spirabat spiritu, qui fumantes odoraminum communium dissipasset nebulas.

10 Multa iam nocte discessêre fratres, mansit Cardinalis cum duobus familiaribus foribus clausis. Eius perseuerantem noluit Dominus sine præmio laborem; In ipsis fornacibus viuidas vidit micare scintillas: dubitauit, an è funalibus ardentes essent fauillæ, aduertit tamen multo prius extincta fuisse. Vix hæc cogitanti duo ibidem obiecti luciferi, ac irradiantes splendore & pulchritudine eximij discurrere sunt visi, mox dilabi, & regredi, eóque vagantes, & euanescentes mansêre spatio, vt nec

ambigere posset, & conspexisse, eiúsque minimè deceptum obtutum. Quæ autem amplius sunt obiecta sua silet modestia, & prudentia: atqui pietatis & religionis & in sanctorum Martyrum venerationem, & ardentem affectum effectus indicant mirifica fuisse.

CAPVT XXXVII.

E Sacris leipsanis & Sanctuario suauissimus odor.

a Ad Ephe. cap. 5.

1 DVlcissimis nos Apostolus hortatur verbis [a], vt imitatores simus Dei, sicut filij charissimi, & ambulemus in dilectione, sicut & CHRISTVS dilexit nos. Quali ac quanto erga nos fuerit amore, non lingua & verbo tantùm, sed opere, & veritate ostendit. *Ideò*; inquit, *tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* O Amor, ô pietas! *Semetipsum*: totum Deum & hominem, nihil sibi reseruauit, aut retinuit: sed se integrè, ac perfectè totum, quantus, quantus est pro nobis peccati seruis, durissima seruitute oppressis, sæuissimo subditis hosti in lytrum & expiationem. *Oblationem & hostiam in odorem suauitatis.* Ipse enim Beato Dionysio asserente, Odoramentorum cælestium omnium fons, & scaturigo [b], *Vnguenti*, inquit, *mystica confectio, quasi in figuratione eorum quæ formari non possunt nobis* IESVM *ipsum depingit fontem esse copiosum, ex quo suauitates Diuinorum odorum recipiantur: Diuinisque proportionibus in mentes, quæ Diuinitatis speciem maximè præseferunt, Diuinissimi suffitus infundantur.*

b De Eccles. Hier. cap. 4.

2 Hoc CHRISTI D. N. fragrantissimo suffimento Martyres sunt perfusi, & eius imaginis exemplar intuentes sunt imitati, ac quasi victimæ cæsi sunt. Mysticè, siue tropicè Victimæ vocãtur Martyres. Clemens Alexandrinus [c], *Diuina*, ait, *Sapientia dicit de Martyribus, visi sunt oculis insipientium mori*, &c. *In paucis castigati magnis afficientur beneficijs*, &c. *& inuenit eos se dignos, vt scilicet vocentur filij. Tanquam aurum in fornace probauit eos, & tanquam solidam sacrificij oblationem excepit eos. Beatus Thomas de his: Beatus etiam* Augustinus, *Illa*, inquit (sacrificia) *diligit & coronat, cùm quisque iustus iniquitatem patiens vsque ad mortem pro veritate decertans, vel ab inimicis, quos pro iustitia offendit, occiditur, retribuens eis bona pro malis, id est pro odio dilectionem. Talem dicit Dominus sanguinem iustum, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, præcipuè autem, quòd sanguinem fudit ipse pro nobis, & sacrificium seipsum obtulit Deo: sic vtique obtulit, vt ab inimicis pro iustitia occideretur. Hunc imitata Martyrum millia, vsque ad mortem pro veritate certarunt, & ab inimicis sæuientibus immolati sunt, de quibus dicit Scriptura, Tanquam aurum in fornace probauit illos, & sicut holocausti hostiam accepit illos. Vnde & Apostolus dicit, Ego enim iam delibor*

c L. 4. Stromat.

2.2. q. 85. a. 3. ad 2.

bor. Idē Sanctus eleganter [a]. *Hoc attendens in agone suo gloriosus CHRISTI athleta, non ex horruit carcerem: Ad imitationem capitis sui tolerauit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit; & quot ante mortem pro CHRISTO pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia.* Origenes [b] etiam de generosissimis Martyrum victimis multa, Agníque victimæ cognatas compellat, Agni nimirum, qui tollit peccata mundi. Prudentius de Innocentibus.

Vos prima CHRISTI victima
Grex immolatorum tener.

Gregorius item Nazianzenus [c] Martyres victimarum pulchro cohonestat nomine.

3 CHRISTVS D. N. *se obtulit in odorem suauitatis.* In eumdem etiam & Martyres. Ipsi enim sunt de quibus Apostolus [d]. *CHRISTI bonus odor sumus.* Soli, vni, veróque Deo Sacrificium debitum conuenit [e], *Ei autem cruentas victimas cædimus, quando vsque ad sanguinis effusionem pro eius veritate certamus. Ei suauissimum adolemus incensum, cùm in eius conspectu, pio sanctóque amore flagramus.* Eodem modo, & amore Sancti Martyres flammis cremati in fornacibus ardebant. Fornaces thuribula erant, in quæ illi veluti aromata pretiosissima Tyranni immiserunt; Sed vt suauiorem, & fragrantiorem spirarent, & exhalarent odorem: prius triti, & attriti tribulationibus, & cruciatibus, quasi in pulueres sunt redacti. Theophylactus: [f]. *Veluti accerra sumus Regia, & quocumque abierimus odorem spiritalis unguenti circumferimus, vel quòd nos ipsos hostiam offerimus morientes propter CHRISTVM, vel quòd ob CHRISTI victimam & mactationem veluti, & quidam suffitus, & nos incendimur.*

4 Pro dignitate de iis Catholica canit Ecclesia. *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te.* Omnibus odoribus prælatū olim balsamum asserit Plinius [g]. Eius fragrantia & liliorum candidorum haud dissimilis est. In Sanctis spiritalis non solùm est, sed etiam in corpora resultare Dominus vult, vt cunctis significet, Suauitatis auctorem in ipsis existere. Magnus Gregorius de S. Tersilla [h]. IESVM venientem vidit, & cum magna animaduersione cœpit circumstantibus clamare dicens: Recedite, recedite, IESVS venit; Cúmque in eum intenderet, quem videbat, sancta anima, à carne soluta est, tantáque subitò fragrantia miri odoris adspersa est, vt ipsa quoque suauitas ostenderet illuc auctorem suauitatis venisse.

5 De Sanctissimæ Virginis Deiparæ sepulchri odore multa B. Ioannes Damascenus [i].

6 Paulinus presbyter [k]. Sancti Nazarij corpus tanto odore perfusum, vt omnium aromatum vinceret suauitatem.

7 Cum B. Hildegardis obiisset, [l]. *Suauissimus omnium nares perfudit odor, ceu balsami*

a Serm. 44. de Sanctis.
b In Ioān. tom. 9.
c Oratione 22.
d 2. Cor. 2. 13.
e S. August. lib. 10. de ciuit. Dei c. 4.
f In 2. Cor. 2.
g Lib. 12. c. 25.
h Hom. 38. in Euang.
i In orat. 2.
k In vita S. Ambrosij.
l Surius Iul. 8.

ceu balsami, myrrhæ, & thuris, cunctorúmque aromatum. Is autem ad tricesimum usque diem apud eius sepulchrum perdurauit.

a Sur. Iul. 13 8 In Sancti Liborij Episcopi translatione [a] cùm in loculo membra leuata in feretro sunt collocata, mirus nunquam defuit odor donec opus perfectum, *nec diutius mansit.*

b Sur. 15. Octobris. 9 Ex Sanctæ Heduuigis tumulo, [b] sicut ex eius ore, & corpore eximius afflatus odor.

10 De Sancto Hilarione B. Hieronymus, quum eius esset corpus transferendum, inuentum integrum quasi tunc viueret, iisque fragrabat odoramentis, ac si vnguentis fuisset delibutum.

11 Hi autem odores non semper continui, sed ad tempus: nec omnium æqualis sensus: nec solùm à Sanctorum leipsanis, sed etiam ex eorum tumulis, confirmat quod de Sancto Othmaro narrat Vvalfridus Abbas [c].

c Lib. 2. c. 6. Sur. 16. Nouemb. *Episcopo adhuc infra monasterium constituto odoris fragrantia circumquaque diffusa maximè iuxta B. Othmari corpus quasi in modum nebulæ volitando, redundare comperta est; Cuius odoris fragrantia cùm continuatis tribus diebus, & noctibus ibidem duraret, non tamen ab omnibus potuit sentiri: sed quidam nostræ Congregationis fratres, qui etiam religiosiores esse videbantur, suauitatem illius degustabant, & religionis suæ auctoritate, huius rei veritatem apud cæteros commendabant. Quibus etiam odor ipse quamuis incompertus, atque eatenus inexpertus extiterit, dulcedinem tamen balsami partim, vt asserunt, poterat imitari.*

Beatissimus Martyr Eulogius, quàm infesti Mahumetici Christianis fuerint, sæpiùs ostendit. Nec sæuitiâ Gentilibus inferiores, quia ex eodem patre diabolo arguit. Ad omnia autem, quæ hîc proponuntur singulare est exemplum, quod de Sanctis Martyribus Roderico & Salomone scribens, *Sed quia*, inquit, *cœlorum regna adeuntibus animabus nequit obsistere callidus serpens, adhuc contra exanimata corpora bellum exsuscitat*, &c. *Iubet corpora martyriali cruore perfusa vestigijs inuersis configi, ac deinceps fluuiali abyssu recondi. Eadem nocte ingenti lapidum onere alligata, separatim vastissimo gurgiti immerguntur. Ego interim peccator Eulogius, qui gesta beatorum meo elucubranda stylo dudum decreueram, cùm rumor consummatæ passionis eorum vbique discurreret, expletis Missarum solenniis, ipsorum inuisenda corpora quâdam vegetatus audaciâ adij, ac propius, quàm cætera spectantium turba accedere non veritus sum. Et testis est Redemptor meus, qui hoc commentarium discussurus est, quia non mentior, quòd tanta decoris pulchritudine decissa illa cadauera fulgebant, vt crederes, si à quoquam sciscitarentur, protinus locutura.*

Nonnulli etiam è turba gentilium venientes sumebant lapillos fluminis, qui cruore Martyrum erant aspersi, & lymphis abluentes proiiciebant in pelago, ne Christianis in emolumentum existerent leipsanorum, &c. Prosequitur historiam & agens qualiter beati Roderici corpus repertum fuerit, ac de eius funere. In quo

ingens

ingens adfuit fidelium turba cum cereis accensis, *vtpote summo triumphatori debitum honorem dependere anhelans adest & venerabilis Pontifex felicium stipatus agmine clericorum, votis ardentioribus talibus interesse festinantes exequiis. Qui mox sanctas reliquias adeunt, & inclytus Papa caput detegit, & osculis sancta membra demulcet. Redolent secreta cubiculi, quò prius beatum corpus sacerdos intulerat, miro suauitatis odore, cunctáque cellulæ pauimenta etiam ablato puluere ferunt aliquandiu suauissimi odoris olfactum respirasse. Fit omnibus in stuporem, quod inhumatum corpus nulla putredo insumpserit, nulla pestis infecerit, nulla tabes corruperit, nulla bestiarum, altiliúmve rabida fames discerpserit, nec propriæ cutis qualitatem tot dierum interiecta capedo degenerans immutauerit.*

12 Hoc maximè Beatissimus Isidorus honore & fauore à Domino est insignitus, legionem cùm esset transferendus. *Dum tumulus*, Lucas inquit Tudensis, *Beatissimi Doctoris Hispaniarum Isidori aperiretur, balsami ros de ossibus illius exhalauit, & arbores & homines, qui aderant perfudit.*

13 De Beato Didaco Complutensi literæ Canonizationis hæc continent. *Corpus illius, quod viuens SPIRITVS sancti templum fuerat, odorem suauissimum afflabat, quo omnes mirificè recreabantur, qui quidem, & in hodiernum vsque diem, ex eius sepulchro suauiter, & iucundè spirans à plerísque sæpè sentitur.* Obiit autem Anno Domini CIↃ CCCC LXIII.

14 Huius suauissimæ, iucundissimæque fragrantiæ odorem sæpiùs sensi, tum Compluti, tum etiam Cordubæ in cœnobio de Arrizafa, in quo & habitu est indutus religioso, & peracto tyrocinio professus est. Inibi pars tibiæ summo cum honore & veneratione seruatur: quoties in templo exponitur, mirifica vaporatur suauitas, non tamen æquè ab omnibus percipitur.

15 Exempla non coaceruo plura, plurima sciens omitto: in collectoribus sunt. Hæc & alia planè demonstrant, & confirmant, à Domino suos hoc solitos honore seruos insigniri: atque ipse quasi signo consignatum vult, sacra pignora, quæ eo indicante, & quasi luminum indice sunt manifestata. & reperta eiusdem apud se esse gradus & dignitatis, ac ea, quæ eodem fauore est prosecutus.

16 Sanctuarium, ipsáque pignora mirobalsami, & aliis florum, herbarum, & aromatum omne genus afflata diximus in superioribus, & proximo capite. Testium multitudine & aliorum res compertissima: non singulas profero attestationes; E Clero, nobilitate, plebe, Theologi, Iurisperiti, Medici, gnari & ignari firmissimè iurati testantur omnes, & diuersos referunt casus; ambigit nemo, nec est qui iure possit ambigere: communis omnium est consensus, & assertio. Candidè & ego sincerè dixerim, absque fuco, quòd sæpiùs vero, certóque percepi sensu, sicut & quamplures alij, non solùm ipsa ossa, sed etiam inuolucra, ex iis mirifico

imbuuntur odore. Vidi sudariolum Holandicæ subtilissimætelæ nouum in nullo alio vnquam vsu, quàm inuoluendis his addictum sacris pignoribus, ex his mirificus fundebatur odoratus, nec facilè quis discerneret, cuius vnguenti aut aromatis. remissior tamen, quàm ex illo, liliis & opobalsamo similis. Notaui, adstantibus dixi, non tamen omnibus idem. Hominibus odorationis, vti & aliorum sensuum dissimilis vis & efficacitas, pro cuiusque natura, & ætate: nõ aliter quàm iudicium vniuscuiusque nec par nec æquale. In sacris pignoribus, & superior alia ratio, non omnes eiusdem meriti, nec omnibus æquè à Domino permissus, nec datus sensus, vt ex exemplis productis certissimum, & in sancti Didaci corpore quotidie experimento comprobatum.

17 In his Martyrum exuuiis non semper idem odor, aliquando intensior, & remissior, & etiam nullus, numinis dispensatur nutu ad sui nominis ampliorem glorificationem, & Sanctorum exaltationem.

18 Apertissimè igitur Dominus hos, quos tanta florum & aromatum fragrantia perfusos vult artus, verè suorum esse Martyrum declarat, quum à sacerdotibus adstante Cardinale ossa collecta in Secretario perluerentur magno cum omniũ oblectamento nares suauissimo sunt odore perfusæ: ac si ipsi sancti clamarent Martyres; *Nos CHRISTI Domini Nostri bonus odor sumus. Hoc se thymiamatum suffimento oblationem nostram suffitam, & subfumigatam, corporum nostrorum sacrificium obtulimus in odorem suauitatis, quem in aridis his nostris ossibus vult Dominus conseruatum, cunctis vtique, vt innuat gratissimum sibi fuisse, & acceptissimam munerum nostrorum, & victimarum oblationem: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in CHRISTO IESV, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omnibus.*

CAPVT XXXVIII.

Angelici auditi concentus.

1 MAxima, & innumera sunt, quæ per Angelos suos in genus humanum confert beneficia, & bona, ac dona Dominus [a]. *Ipsis tanquam prouidis tutoribus eam demandauit curatu ad custodiam & salutem hominum. Et quia conseruorum adiutores, fidelésque veritatis testes* [b]. Eiusdem veritatis fortissimos assertores, & testes Martyres maiori beneuolentia, & fauore prosequuntur, eximiísque ornant & pulcherrimis afficiunt honoribus.

a S. Basil. in Isai. c. 8. & de Spir. Sanct. c. 1.

b πιστοὶ Μάρτυρες ἀληθείας.

2 Petro in carcere, & aliis Apostolis, & Discipulis præstò fuerunt. Clementi marmoreum tumulum appararunt. Catharinæ corpus in montem extulerunt Syna. B. Sali psallentes adstiterunt funeri. Martyres in cruciatibus

tibus, & carceribus visitabant, & consolabantur, & pascebant: In flammis saluifico irrorabant rore. Quid singula persequar? Frequentissimè ad Martyrum exuuias eorum suauissimi personuerunt concentus. Duo non plura profero exempla. De gloriosissimo Hermenigildo Magnus Gregorius: *Pro ostendenda eius gloria superna quoque non defuêre miracula, nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus eiusdem Regis, & Martyris audiri, atque ideò veraciter Regis, quia & Martyris.*

Alterum. Dum sacra Beatorum Martyrum Diodori, & sociorum quæruntur leipsana [a]. *Nocturno tempore Angelicæ voces in crypta audiebantur, & psalmodiæ hymnizantium, tantúsque splendor illam illustrabat, vt nullus auderet nocturno tempore accedere.* Hoc nobis exemplum exemplar sanè speciosum repræsentat eorum, quæ prisco gesta sunt æuo, hoc etiam nostro gesta conspicimus. Dispar tamen effectus: Illud terrebat, hoc alliciebat, & trahebat audientes. Aptissimum & consentaneum vtrumque tempori: illud summum Pastorem habebat præsentem, & vrgentem, hoc vocat & inuocat absentem nondum cognoscentem, ac ostendit ipsius egere fouentis fauentia: & vt rei tantæ non ignoretur veritas multorum comprobetur attestatione.

[a] Surius 17. Ian. 3.

4 Viri duo mense ineunte Nouembri CIↃ IↃC XXIX. erant in Sanctuario, horâ cadentis noctis primâ eorum pulsauit aures apum velut susurrus; Alter ab altero quæsiuit, an sibi insonuisset submissum melissarum murmur. Reticeat, rogat hic, ne auditio impediatur: cum silentio pergunt in primariam propinquam ædem, tres & alios, qui inibi erant, vocant comites. Propiùs dum omnes accedunt clarior erat concentus quasi fratrum Capucinorum non simili prorsus sono, & tono: plures illis sunt visi hymnizantes in ipso secretario, vbi corpora reperta custodita sunt à principio; Non igitur vt apum sed humanæ tunc visæ sunt voces; & silentibus cunctis ab vno quasi orationem dici notarunt. Viri se quinque susurrantes inaudiisse, neminémque tunc ex clero eo in loco fuisse: ipsúmque cantum solito clericali diuersum, & superiorem & vltra humanum, sed quodammodò qui Capucinorum referret, iurati sunt attestati.

5 Eodem mense iuuenis ex vicina ciuitate Anduxar Vrgauonem venerat, nocte concubia in Sanctuario orabat; Religiosa illum fœmina est sciscitata, An audiret, quem ipsa susurrum. Attentè intendunt ambo, ac susurrantes, quasi apes aduertunt; Pergunt in templum, & media circiter horâ ad Secretarij ferream cratem audientes perstitêre, ac illis visum cantum edi instar fratrum matutinum officium submissa voce recitantium.

6 Iuuenis idem sequenti prima sexta feria Sanctuarium adiit, atque iux-

ta murum ad horologij turrim per duas adſtitit horas : & cùm duodecima inſonuit media ſcilicet nocte, vnicam pſallentem audiuit vocem, & modica facta pauſa, plures pſallentium perſonuêre voces, quas ex maiori æde edi credidit. Adiit & illam, clariores dum appropinquat audiit: Iam proximus clarè, & diſtinctè ipſas percepit. Verùm nil aliud intelligere quiuit, quàm quòd Religioſi ſunt ſibi viſi Diuinum recitantes officium, quod duas & ampliùs durauit horas.

7 Duos vel tres poſt dies iuuenis idem vnâ ante mediam noctem horâ Sanctuarium ingreſſus, offendit orantem amicum, ipsóque ſalutato mutuò colloquuntur, atque inde ſimul ad Templi Secretarium cõtendunt: ad cratem accedunt ferream, vt ſi forſan, qui ſuperioribus noctibus ille inaudiret cantus, tunc etiam perſonarent, ac eumdem ſubmiſſum ſuſurrum, ac multarum vocum murmur, iiſdem forma, ſono, & tono, quibus præcedentibus noctibus inaudierunt : nihil prorſus intellexerunt, nec mirum laici & literis minimè exculti.

8 Eundem in locum plures iam aduenerant fœminæ, non ex ipſo municipio, ſed vicinis ex oppidis, omnéſque tenui, ſubtilíque modulatum ſono concentum notarunt. Per feneſtræ verò rimas & iuncturas, modicas conſpexêre luces, quæ tamen eximio ſplenderent fulgore.

9 Vndenam teſtibus apum ſuſurrus aures permulſit? atque hoc ex vocum canora pſalmodia factum aurium iudicium? Omnes ſunt teſtati, ſe meliſſarum blandum percepiſſe bombum & murmur. Vnde illis iſta, non alia occurrit cunctis vna metaphora? Cantio melica non ſimilis ſtridentis examinis ſtridori, non ſimilis rauco. Atqui non fortuitò, non caſu, nec incaſſum vnum, idémque auditionis iudicium, & conſenſus, ſenſus ſanè aurium ſimplex, quibus integer, eſt & acutus. Numinis id factum nutu cenſeo, & credo : non alio certè diſpoſitum, ſonus vt ita ſit formatus, & inflexus vt apum aſſimilaret ſuſurrum. Perceptus ab illis ſonus expoſitus eſt.

10 Quid innuere Dominus voluerit, non facilè quis, niſi eius illuſtratus luce, diffiniat. At ſi veſtigare, coniectare, & odorari fas ex rebus fuerit ipſis elicienda ſententia: Apes aliquid habere Diuinitatis & prudẽtiam Ariſtoteles, Varro ingenij plurimum, Plutarchus ſapientiam, ſicut Beatus Ambroſius, & Baſilius, Didymus, Diuinum opificium. Vnde Virgilius cecinit:

His quidem ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem Diuinæ mentis, & hauſtus
Ætherios dixêre.

[a] Tom. 3. in Paſſ. SS. Iuuen. & Max.

Apibus Sacerdotes rectè comparari dixit Ambroſius [a] Martyres Chryſoſtomus. Vrgauonis nomine etiam indicantur & Apes Sanctos, quorum

exuuiæ

exuuiæ inuentæ, & in Sacrario conditæ, Angeli videntur asseuere & Sacerdotio,& Martyrio clarissimos, & in Municipio natos, & passos. Simúlque alias inuocare, in auxilium euocare apes, eásque iure existimarim,quas CHRISTI D.N. Vicarius Beatissimus ac Sanctissimus Pater & D.N. VRBANVS VIII. glorioso in stemmatis sui præfert insigni. Hæc mea existimatio à naturalibus apibus est confirmata. Mensis huius Maij die decima soluendi voti gratia Vrgauonem veneram,Secretarium Sanctos veneraturus ingressus, apes in eo adspexi volitantes. Ab ædituo quæsiui vnde essent, quídve opus ibi illis esset. Respondit ante multos annos singulis Maij mensibus solitas ad ceram aduentare. Animaduerti tamen, omissâ cerâ, armarium, in quo Sanctorum Martyrum exuuiæ conditæ,circumuolitare, quasi ad aluearium, in foribus foramen solicitas indagare,vt ingrederentur. An autem,vt se sodalibus aggregent, an verò florum suauitate,quam sacra illa spirant pignora,illectæ,ad eam penetrare contendunt: non satis liquet. Liquet verò superiori actas impulsu,vt quæ putorem,sicut & vnguenta, ossáque cadauerum oderint, & fugiant. Elegantes de his Sapiens Phile:capite 29.de Melissis,

Viuítque vitam sapiens, & sobria expertem
Comestionis horridæ cadauerum,
Et musices est amans, aues vt cæteræ
Námque euolant saltus in heruidos, sonum
Ciet canora, cúmque euntibus redit.
Non luxus illi, non voluptas blandiens
Cordi est, labore victitanti parciter, &c.

Flores ament,& sectentur,alueos diligant notos: Ad hos,& illos aduolare mihi persuasum. Vtcumque res se habeat non vacat mysterio. Quòd si obiicias vetustum earum in eum locum aduentum non abnuero. Asseruerim verò iam non ad ceram tantùm, sed ad conditorium præcipuè, illâ relictâ, hoc obsident,& ambiunt,sicuti & aditum.

11 Tanta dissimilium conformatio, & consona cohærentia non hominum naturæve solertiam, & industriam, aut imposturam, vel etiam magicas præstigias, sed Diuinam signat, & asserit prouidentiam. Cernitur enim in his & auctoris maiestas, & bonitas,quibus suos extollit,ac testes suæ testatur esse veritatis. Probos omnes in admirationẽ rapit signorum multitudo & consideratio. Altioris immò Diuinæ mentis vim inesse dictitant,& clamant; publicas publicè, quid mirum si mirentur, & venerentur virtutes? Quid Diuini in his latêre,immò quia latet,non dubitãt priuatim pio,religiosóque reuereri cultu:ignitum concipiunt affectum, & externo parturiunt effectu; ossa tellus vestigantibus non negauit. Cælites celebrant,quos temporum fuga celarat: & nox obscurarat in tene-

bris; & tetra obnubilarat nubes; Coruscantes detexerunt splendores, & fulgentia indicarunt lumina, ipsáque astra reuelarunt; Concinunt hilares Angeli, conciues in lucem tenebris obsitos celebrant reuocatos. Quid mirum, aut dubium? *Martyrum chorus, vel Martyrum castra potiùs, & exercitus nihilo minor illis Angelorum castris, quæ Patriarcha Iacob vidit, sed æmulus illis, & æqualis: Martyres enim & Angeli nomine tantùm distincti sunt, factis autem iunguntur. Cœlum incolunt Angeli, ita & Martyres*; vt præclarè dissertat Chrysostomus[a].

[a] In laudatione omnium Martyr.

CAPVT XXXIX.

Martyrum purpura & palma, palmataque vestes.

[b] Cantic. 3. 1 VErus Salomon CHRISTVS D. N. ferculum sibi fecit[b]. Gestamen nimirum gloriosissimum, quo victoriæ suæ signa, & spolia in triumphali eius gestantur pompa. Semper, perpetuúmque triumphat: & cælestis sui regni ostentat gloriam, & pulcherrimam magnitudinem. Ferculi ascensus purpureus, seu purpura, Martyrium vtique. B. Hieronymus,[c] *Ascensum habet purpureum, quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesiæ, per Martyrij sanguinem peruenit ad regnum. Igitur Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo, quoad clarum, quod intus adspicitur per tribulationem sanguinis peruenitur.* O magnum sacrúmque vinclum, quo Dominus Martyres sibi nectit! O felix & gloriosus cruor, per quem seruus ad dominum, supremúmque ascendit ad Regem! O mira, incomparabilis vis, quæ debiles, & infirmos firmat, & roborat ad ascensum! O Diuina virtus, qua imbecilles, imbelles, & lactentes tenerrimæque puellæ manu ducuntur, ne collabantur in ascensu!

[c] In Ezechiel. lib. 2. cap. 15.

2 Martyrum sanguis purpurâ determinatur: De coloribus disputat Agellius & infert[d]. *Plura, inquit, sunt Phauorinus in sensibus oculorum quàm in verbis, vocibúsque discrimina*, &c. *Sed cùm aliter rubeat ignis, aliter ostrum, aliter crocus, has singulas rufi virtutes Latina oratio singulis propriísque vocabulis non demonstrat*, &c. *Nam Phœniceus, quem tu Græcè φοίνικα dixisti, noster est, & rutilus, & spadix Phœnicei synonimo, qui factus Græcè noster est. Exuberantiam splendorémque significat ruboris, non admodùm sole incocti.*

[d] Li. 2. c. 26.

3 Tyrio Sarrano Martyres rutilant ostro. Palmulæ dulcissimæ Puniceo elucent splendore, eodem asserente Agellio: Hunc è matrice imbibunt & contrahunt fructus: Palma eodem decorata fulget colore: Dominica Crux adumbratur palmâ, Hac illam symbolicῶς significari Patrum plures tradunt ad illud Cantic.[e]. *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus*

[e] Cantic. c. 7. 8.

fructus eius. Qui pulcherrimi sunt, Martyres nimirum. Triumphantibus de tyrannis palma debita, sicut & purpura. Eam refert sanguis, isque dictus ab Homero purpureus; Hic color Imperatorum, Regum, & Principum sicut & triumphantium est. *Comæ capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.* Ecclesiæ caput CHRISTVS Dominus N. cincinnis speciosus præ filiis hominum, ipse rubiis rubescentibus rutilat aureis, purpureisque comis & vestibus [a]. *Sanguis Martyrum triumphalis est. CHRISTI nostri Principis triumphi sunt Martyrum palmæ.* B. dixit Ambrosius. Manus, & vestes coccineo refulgent in ostro.

[a] In adhortat. ad Virgin. de Sanctis Agricol. & Vital.

4 Eo ipso, quòd pro Rege suo occumbunt, hostibus prostratis & victis, victores coronantur [b]: *Fortésque athletas populis palma designat esse victores.* Palmata & triumphatur in veste. Hac vel semel induti maximè illustrabantur; At qui hic adeò splendidus, & amplissimus diurnus, non diuturnus: Momentaneus, & temporarius vnius tantùm diei [c]. *Quid iuuant consulares prætextæ, aut nitentes auro triumphales palmatæ? Hodie tu tenes, cras alius*: B. idem Ambrosius. Non ita Martyrum purpuratus ordo, Palmatis exornatur æternùm mansuris, nec vnquam interituris; celsior, & lucidior ex his resultat claritas. Non obnubilabitur sæclis innumerabilibus, perennis est, & perpetuus. Eleganter pro more Tertullianus [d]. *Prælium est nobis, quòd prouocamur ad tribunalia, vt illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem pro quo certaueris obtinere. Ea Victoria habet & gloriam, placendi Deo, & prædam, viuendi in æternum. Sed obducimur certè, cùm obtinuimus, ergo vincimus cùm occidimur. Denique euadimus, cùm obducimur. Licèt enim sarmentitios, & semiaxios appelletis, qui ad stipitem dimidij axis reuincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.* Concinnè sanè, nec minus aptè Sidonius si de Martyre non de Consule fuisset locutus [e].

[b] Cassiod. lib. 1. Var. epist. 28.

[c] S. Amb. in Psal. 1.

[d] In Apol. c. 58.

Concipe præteritos, Respublica mente triumphos,
Imperium iam Consul habet, quem purpura non plus
Quam lorica operit, cuius diademata frontem
Non luxu, sed lege tegunt, meritísque laborum
Post palmam palmata venit, decora omnia regni.

[e] In Paneg. Macor. August.

5 Martyrum chlamides, Tyrio non tinctæ, sed proprio purpureo splendent conspicuo cruore. Magnum inter vtrumque discrimen, est etiam & quædam similitudo [f]. *Mirum*, Cassiodorus ait, *est, substantiam illam (ex purpuræ conchyliis) morte confectam, cruorem de se post spatium tam longi temporis exsudare, qui vix solet ex viuis corporibus vulnere sauciatis effluere. Nam cùm sex penè mansibus maximæ deliciæ à vitali fuerint vigore separatæ, sagacibus naribus nesciunt esse grauissimæ: scilicet ne sanguis ille nobilis aliquid spiraret horroris.* Aptè conuenientérque congruit vterque sanguis. Superior tamen Martyrum,

[f] Cassiod.

non

non aliquid horroris tantùm, sed suauissimi multum spirat odoris.
6 Sublucens ille flos à Regibus, Principibúsque expetitus è mediis eximitur faucibus sex verò transactis mensibus arte magis, quàm natura ipsa iuuante, nec renuente. In hoc Martyrum ex aridis, siccis, & exanguibus sanguis exsudans, ossibus aliquid assimilatur è ostreis elicito. Ille Dei nutu, non industria, nec artis ingenioso commento. E sacris post multa sæcula pretiosissimus liquor erumpit exuuiis. Interest tantum inter eos, quantum inter pelagus & cælum, hominem & Deum. At artis opus duce natura vestigiis aliquid quasi tenui lineâ insignia adumbrat signa.

CAPVT XL.

Sanguinis effusiones ex ossibus plurimæ.

1 EX conchyliis mira prodigiis quodammodò repræsentatio, vti ex sanctis exuuiis sanguis erumpit, sed elicitur ille, hic non item. Quod testimoniis pluribus probaui, nunc autem domesticis gemino libenter merito firmo.

[a] Marinæus l. 5. Vasæus anno 91. Blaseus li. 3. a. c. 21.

2 In Iaccensi cathedrali B. Virginis & Martyris Eurosiæ corpus in magna est veneratione [a]. Eius historiam Marinæus, Vasæus, & demum Vincentius Blaseus de Lanuza Canonicus Cæsaraugustanus vir nobiliter doctus tradunt. Addit hic plura satis illustria lectúque digna: Sanctæ Martyris caput in oppido Iebra in valle de Vasa conditum. Don Ioannes de Aragon Iaccensis antistes diœcesim lustrabat, Paræciæ Ibrensis sacra inuisit leipsana: Interea, & pedem beatissimi Leuitæ Laurentij. At Virginei capitis inuolucris euolutis, & ablatis suauissimus afflatus odor. Aduertit venerabilis Præsul in occipitio cutem aureo crine adhuc extare pulcherrimam; Concupiuit piâ motus religione partem, & scidit, ab ea post octo circiter sæcula recentissimus effluxit sanguis, quo gladiolus, & eius digiti, sunt cruentati: Inhorruit turbatus Episcopus, ostupueréque omnes tanto conspecto miraculo: Subtili velo & gossypio collectus est sanguis, eum simul cum carne, & capillis ornauit vt Princeps & pietate & genere præclarus, hócque hilaris thesauro discessit ab oppido. In ipso egressu serenum, & sudum obnubilatum est cælum; fulgetra, tonitrua, grandinémque densissimam nubes in Episcopum & familiam iaculantur: sæua progredientibus obsistebat tempestas, ne eos opprimeret regredi sunt coacti. Episcopus, prout res erat, eam credidit procellam ob reliquias præsumptas impendere, Deum, sanctámque precatus, virginem

iactari

iactari eâ desiit, regressus in templum restituit. Sanguis is in hodiernum vsque diem pulcher, puréque rubescens manet. Oppidani, & vicini montani eum non multos ante annos auctum asserunt.

3 Cæsaraugustæ sub impio præside Datiano plurimi sunt passi Martyres. Lambertus in fide constantissimè perseuerans ruri ab hero crudeliter obtruncatur. At capite in manibus sublato (mirum sed verissimum) vltra quatuor millia perrexit in vrbem, vbi ad alios occisos & iacentes peruenit Martyres, clara insit voce, *Exultabunt sancti in gloria.* Responsum vbi à Martyribus: *Lætabuntur in cubilibus suis.* Adclinauit se ad illos. Anno Domini CCCVI.

4 Huius Sanctissimi Martyris corpus in Sanctæ Encratidis basilica est tumulatum [a]. Summâ veneratione Hadrianus, qui postea sextus Maximus Pontifex fuit, Martyrem veneratione summâ colebat, eiúsque Sancti magnoperè aliquam optabat assequi reliquiam; ad Petri cathedram euectus plures Cæsaraugustæ est commoratus dies. Tunc sarcophagum reserari iussit, sacrum veneratus corpus, eius selegit sibi iam diu desideratam maxillam cum aliquot digitorum articulis, in quibus adhuc caro supererat, ipséque Pontifex magna cum religione scidit. Copiosus ex sectione recentissimúsque fluxit sanguis, quo eius manus sunt cruentatæ. Collectus est omnis & pyxide crystalina conditus seruatur cum inscriptione [b]: SANGVIS BEATI LAMBERTI CIVIS CÆSARAVGVSTANI.

5 CHRISTVS D. N. suo Martyres irradiat sanguine [c]. *Ipse enim purpura est, qui inficit eorum animas, non solùm colore resplendens, sed etiam potestate, quia reges facit & meliores regibus, quibus regnum donet æternum.* Martyrij elegans typus sanguis. Sanctiss. meus Bernardus [d]. *Tres sunt qui testimonium dant in terra; Spiritus, aqua, & sanguis. In aqua quidem baptismum intellige; In sanguine Martyrium designatur.*

6 Sacra Pignora sanguine perfusa, & exemplis antiquis & præsentibus est comprobatum: at nouum & inauditum in nostris Martyribus conspicimus. Ex Madrideo in oppidum Marmolesos Giennensis ditionis, adducta est Maria adolescentula annos nata quatuordecim virgo simplex. Modesta & pudica, non vanis sueta sermonibus, Virginis Sanctissimæ Deiparæ Rosarium solita recitare; inseruiebat ancillula domesticis vilioribus addicta obsequiis, Parocho secundo eiúsque sorori & affini. Condiderat, illa in scriniolo officula ex Sanctuario chartis inuoluta, desinente Octobri anni CIↃ IↃC XXIX. Inuisit vt aliâs ea, & inuenit in papyro recentem ex illis sanguinem, & eo crucem effigiatam. Heræ ostendit parochi sorori; Miratur illa, ac alia officula alba, mundáque operta papyro in sinu reponere iubet. Paruit, & post modicum, magno

[a] Vasæus eodem anno Martyrologium 16. Aprilis.

[b] Idẽ Blaseus li. 2. c. 29.

[c] B. Ambr. in Psal. 118. Octonar. 17. versu 5.

[d] Serm. 1. in Oct. Pasch.

cœpit exæſtuare ardore; Cor, ac ſi auelleretur, anxiatur; Penè deficit lapſa, IESVS, IESVS; Quid hoc? hera educ chartam, en morior, exclamat. Extrahitur, & ſubitò omnes illæ deſiêre anguſtiæ ſurrexit læta & hilaris. Amota papyro recenti imbuta conſpicitur cruore: Miraculum conclamatur, accurrunt ciues, & ipſe parochus: magna omnes occupat admiratio.

7 An id ipſum continuaretur prodigium ſequentibus tentari diebus placuit; Admouentur & alia fragmina oſſium, eodémque anguſtiata modo, ſtare nequit, ſed magno animi deliquio collabitur. In admotis inuolucris notatur ſanguis. Tanti, inauditíque miraculi famam crebreſcentem excipiunt omnes, ac qui aliqua Sanctorum pignora habebant, auebãt hoc miraculo, ſanguinéque purpurari. Prior parochus totius caſus illuſtriſſimum Cardinalem certiorem facit. Datur illi in mandatis, vt ſolertèr inuigilet, ne deluſio, frauſve ſubrepat, cuncta diligenti rimentur cura. Facit ille, ſanguiníſque fuſiones perſtant, ſiue in dextro, ſiue ſiniſtro ſinus latere oſſa admota fuerint. Crux etiam cruenta aliquando in chartis apparet: Inuolucra ligata ſigillantur, ſed inſecta & perlita non tamen omnia conſpiciuntur.

8 At rem maiori opportere proſpici exploratione Cardinalis cenſuit; Aduocat in conſilium Theologos, Iuríſque peritos, viros & pietate, & literis præclaros. Diſquiſitionem denuò fieri placuit: mittitur in eam viſitationis iudex, datúrque inſtructio, qui multorum teſtium probationibus impletis, Puellam iubet poſt confeſſionem ſacris participare myſteriis. Libenter ipſa annuit, nam eius iureiurando accepto in depoſitione affirmauit. Cùm oſſa ipſi admouentur magno affici gaudio, & confitendi & cõmunicandi deſiderio. Poſt Sacram ſumptam EVCHARISTIAM altero die deducitur in Eccleſiã, congruo apparatu DIVINI PANIS in maiori ara ſumma illa manifeſtatur maieſtas, cui adſtat Angelica turba, Sacra celebratur Synaxis. Genuflexi plures precibus intenti Sacerdotes rei euentum præſtolantur. Ipſis intuentibus puellæ in manu, & pectore adhibitæ oſſium particulæ chartis, & filo ſigillíſque munitæ; At vbi Sacerdos ſalutarem conſecraturus accepit hoſtiam, cœpit illa deficere, atque è manibus volumina excutiuntur, & collapſa defecit: è pectore cætera remouentur. Tunc reuocata hilaris manſit: apertis inuolucris non oſſa omnia ſanguine perfuſa ſunt reperta.

9 Hæc omnia ideò ita diſpoſita actáque ſunt, ne magicæ in hac ſanguinis effuſione præſtigiæ laterent. Nullas ſubeſſe omnium fuit adſtantium ſententia, adueuerant aliquot Priores Theologi, viríque pij: ſed ne ex frequentatione aliquid indebitum & indignum: ſub cenſuris vetitum oſſa deinceps adhiberi, niſi aſſentiente Priore Parocho.

10 Ex

10 Ex huius facilitate nemini negata facultas ossa admouendi. Sed quia non diabolicâ fraude fieri omnibus certissimò constabat, tantum, frequentissimum prodigium, humanam subesse vnus & alter asserebant, & iurati deposuerunt; Sed adstante Cardinali & assidentibus Episcopo, Neapolitano, Theologis & Iureperitis, & experimentis factis, qui deposuerant testes, in sua opinatione deceptos iurati affirmarunt.

11 Puella Giennium delata, & diligenti examine probata regularem induit habitum ex manu Episcopi, & à Cardinali dotata in monasterio perstat.

12 Erat in quæstione casus, & simillimus in eamdem profertur controuersionem. Viduæ cæcæ, & inopis filia tredecim annos nata, (exiguum minorem corpus repræsentat ætatem,) ipso B. Antonij Abbatis die natalitio Giennij huius vertentis anni vespere, ossium ex Sanctuario particulas Sanctissimæ Virginis Deiparæ MARIÆ typica papyri imagine texit. In sinistro pectoris latere collocauit. Dum aliud agit, quasi acus ictu se sensit punctam. Immisit manum, eductam imaginem euoluit, ex vnóque ossiculo sanguinem fluere notat, & imaginem adspersam, sorori & aliis ostendit. At illæ rident, & ipsius esse imposturam, & Rubricâ, vel ruboreGranatensi ab eâ perlitam aiunt: Arrepta & ossicula aquâ perluunt in vase. Aqua infecta est cruore; Eadem fracta ossicula imagine inuoluta reddunt, ipsa in sinu deposuit.

13 Postero die vicinæ tres puellam vocant, & ossicula cruenta sibi ostendi postulant: Abluta respondet, vt conspiciant exhibet; Intuentur tunc illæ iterum sanguinem erumpere, & ebullire recentem. Quæ cùm ad Cardinalem fuissent delata, probationes fieri iussit.

14 Ex materno domicilio puellam in ædes suas deduci curauit Don Ennecus Fernandez de Cordoua, Alcantarensis militiæ ex nobilibus Giennensibus vnus & toparcha. Ipso eiúsque fratre ex Dominici Sanctissimi familia, & vxore & domesticis præsentibus, sæpiùs in pectore ad ipsam carnem ossium fragmina ex Sanctuario sanguinem sudare sunt visa. At cum sanguis erumperet puella maximè torquebatur, & sensibus destituta arteriarum carebat pulsatione.

15 Sanguinis effusiones, & earum probationes sunt continuatæ; Quia verò non paucæ occurrebant difficultates, etiam ex prioris, quam huius puellæ accidentium rerum prospectu diligenti: erántque qui impugnarent & propugnarent in vtramque partem argumenta, Cardinalis pro more in consessu iubet disquisitiones fieri. Post aliquot sessiones censuit, vt Dominus in re adeò graui & ardua mentibus humanis suæ illustrationis lumen infundat, ad eum denuò deprecationes fieri oportere, eas per diœcesin indicit, earum publicatâ formâ, in Cathedrali in honorem Bea-

tissimæ Deiparæ Virginis ritu, moréque solemni & antiquo nouenadia celebrantur. In his summa illa EVCHARISTICA sublimitas magno manifestatur apparatu, & populi concursu; Extremam Cardinalis ipse celebrat synaxim. His diebus puella ad sanctissimum Missæ sacrificium, vt adstet adducitur. Ex adhibitis ossiculis, cùm semper fuissent admota, semel sanguis profluxit.

16 Consummantur omnia feliciter; Eorum finis solenni pompâ religiosa supplicatio Cardinalis & Capituli ac totius Cleri ac Regularium omnium, & populi frequenti concursu. Singulari omnes deuotione in Sancti Ildelfonsi ædem ex cathedrali processere; In prima ara ad Diuinam EVCHARISTIAM eximiâ magnificẽtiâ, & splendoris ornatu patentem consuetæ ritu Romano psalluntur preces. Deinde in Sanctissimæ Virginis sacrario eius ad Filium deuotissimè imploratur auxilium.

17 His omnibus peractis indies cruoris augentur stillicidia. Erant, qui puellarum angustiarentur angustiis. Absque his eadem fieri voluit Dominus; In manibus, in pectore, sine aliqua molestia rarissimè maximè ex typis cinericiis exsudare visus est sanguis. Reducta ad matrem continuari dicuntur effusiones.

18 Hoc idem quodammodò videtur in Sanctimoniali confirmatum. Hæc Carmelitarum à Beatissima Theresia reformatam professa regulam singulari virgo virtute quoties hæc sacra pectori admouet leipsana simili premitur, ac afflictatur æstu, & anxiatur angustiis. Remouet statim, nec in sinu audet gestare. Sanguis an manet subalto manet silentio. Prudentes sunt eius sociæ, & sorores, sunt & Superiores; Sanguinem fusum ex indiciis, & signis suspicari, non affirmare licet.

19 At siqua ea in re subesset difficultas aliquibus videtur nunc iam sublata. Non multò ante quàm hoc Mense Maio Vrgauonem peruenissem, aduenerat ex Tuccitana colonia vulgò Martos tibicen, tum, vt Sanctos veneraretur, tum etiam vt si forsan artis suæ mereri posset stip endium. Cùm emendicata aliquot ossa minimo ex tribus, quos adduxerat filiis custodienda tradidisset ísque misisset in sinum; contigit, vt Sacrosancta infirmo deferretur EVCHARISTIA. Pater, & filij modulatè tibiis canentes Dominum comitantur. *Minimus* in reditu fatiscere æstu, & sudore cœpit. Anxius penè deficiens patri significat: Sustineat paulisper monetur. In templum vbi peruentum, secreuit illum pater, & nudato pectore tunicam, & subuculam sanguine madentes notat. Ossa aufert, & seruat, ne sibi auferrentur silere decreuit, at non potuit. Signo vulgato. Puero plura adhibentur iisdem æstu sudore, & anxiis deliquiis erupit sanguis, atque ex vno per duas horas in Clerici manibus fertur sãguinis emissio durasse Puer non decennio maior, ísque in Sanctuarij orans ianua est mõstratus.

20 Fastidium

20 Faſtidium multis verùm delicatiſſimum ex hac eſt tam denſa ſignorum nube. Nauci illis ad nauſeam viſa adeò replicata multitudo; Aſſiduitate vileſcere aiunt, & experimento compertum. Maximè verò in tam frequenti ſanguinis ſcaturigine in puellarum ſinu: præſertim cùm in his nulla ſanctitatis, ſolidáve virtutum indicia, ſed tantùm illa, quæ in ſimili puerili ætate noſcuntur. Cur in his magis, aiunt, quàm in omnibus aliis? Atque hæc inſolita, inuſitata prorſus eſſe prodigia, ſimilia nullibi viſa, nec ſcripta legi. Difficultates, & alias proponunt, & quaſi ſub his anguis lateat, timent.

Atqui licèt à viris piis, & doctis verbo & ſcripto ſit reſponſum, adhuc aliqua ſupereſſe, quæ vrgent, non negauerim. Quod ſi ad naturæ notiſſima noſter ita caligat intellectus, vt noctuæ oculi ad lucem, quid ad ea, quæ illam ſuperant? In Domini viis excelſa abditiſſimè occultantur arcana. Supra captum tentat, qui ſua conatur penetrare mente, & ſcrutari intellectu Altiſſimi profundiſſima conſilia. Vnde ea vis purpuræ quam aſſerit Caſſiodorus? *In illis*, inquit, *rudicundis* (fulgentis ſanguinis) *fontibus cùm albentes comas ſerici doctus moderator intinxerit, habere debet corporis puriſſimam caſtitatem, quia talium rerum ſecreta reſugere dicuntur immunda.* Conchyliis duriſſimis, & eorum extincto cruori vnde hæc inſita virtus? Quorſum innata his florens, pudicáque vis, vt impudicam vitet, & exhorreſcat turpitudinem? An ſentit poſt necem? Ac exanimis examinat laſciuæ manus petulantiam, & libidinoſi corporis ſordes? Effectum nouit expertus non cauſſam, niſi dicas communem, & vulgarem, ita naturâ comparatum eſſe. Si hæc nos latent, non etiam lateant abſtruſiſſima mentium aciem fugientia ſubtiliſſima Dei conſilia? Reuereri nos illa potiùs, & admirari oportet. Si Martyrium eſt adumbratum purpura, eiúſque nobilitas eſt tanta, vt manus amet puras, & caſtas, nec aliter veſtes inficiat, mirum ſanè non eſt, ſi Martyrum ſanguis in puro Virgineo, puerili, pudicóque ſinu ſuum declaret effectum. Ac veluti in integritatis ara Deo Optimo Maximo repræſentatus offertur, vt eius placatus clamore noſtri miſereatur.

22 De reliquis Sanctiſſimus meus Bernardus videtur locutus. De ipſo ſic ſcripſit Guillielmus Abbas [a]. *Cùm autem viri ſancti magis, magíſque ſigna crebreſcerent, & multiplicarentur indies religioſis fratribus aiebat. Plurimùm miror, quid nam ſibi hæc miracula velint. Aut quid viſum ſit Deo talia actitare per talem. Nihil mihi videor in ſacris paginis ſuper hoc genere legiſſe ſignorum: Si quidem facta ſunt aliquando ſigna per ſanctos homines, & perfectos, facta ſunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conſcius ſum, nec fictionis. Scio enim mihi non ſuppetere merita, quæ miraculis illuſtrantur. Confido autem nec ad eorum ſortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorãtur. Hæc & huiuſmodi crebrò, ſecretiúſque cum viris ſpiritualibus conferebat. Nouiſſimè. Scio, inquit, hu-*

a In eius vita li. 3. c. 6.

iusmodi signa non ad Sanctitatem vnius, sed ad multorum spectare salutem: & Deum in homine, per quem talia operatur, non tam perfectionem considerare, quàm opinionem, vt in eo commendet hominibus, quæ illi creditur, inesse virtutem: Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt, sed pro eis magis, qui vident illa, vel sciunt: Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, vt ipsos probet cæteris sanctiores, sed vt cæteros magis amatores, & æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi, & signis istis, quandoquidem meæ illa famæ, magis quàm vitæ nouerim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem sed ad commonitionem aliorum. Hæc ipsa profectò ad nos spectat omnis. Credamus, & tanto pareamus Patri verè Sancto, & sapienti, & desesentienti humillimè. Quis nouit sensum Domini? An non peritior artifex, qui vel minus apto, quodcúmque vult, opus perfectissimum absoluit instrumento; Vt qui rudi, hebetíque stylo scribit eleganter, & politissimè. Expendamus quæcúmque beatissimus expendit Bernardus. Non vltra progredior, nec inquiro, historicæ narrationis fines reliqua egrediuntur, & ad Theologiæ abeunt.

23 Pueri Tuccitanis cruento publicato miraculo, hisce sacris Pentecostes festis diebus vicini oppidani frequentes Vrgauonem conuenêre. Singulari deuoti religione Sanctuarium ad multam vsque adibant noctem. Cúmque vbi multitudo, ibi confusio, nulla tamen notata. Mensis Maius florum, & deliciarum parens & voluptatum, ad eas [a] Maiumámque inuitabat. Minimè tamen earum fuit locus, nec iocus, nec ludus Maiumalis. Martyrum reuerentia in honestate, & verecundia continebat, & mentes seruabat castas. In viis compitis, & templis turbæ sine turba: Vt verè dici posset DEI digitum se præsentem manifestare Diuinæ dispensationis, non humanæ industriæ erat effectus. Hæc, aliáque plurima huiusmodi interna prodigia, externa quæ referuntur, & traduntur, vera confirmant.

[a] De Maiuma Suidas. & l. vnica C. de Maiu. li. II. Gyraldus Syntag. I.

CAPVT XLI.

1 INcredibili omnium lætitiæ Martyrum inuentioni felix est impositus finis. Cardinalis Giennium reuertitur. Municipes maiora concipiunt. Non vno iam contenti Sanctuario, alterum moliuntur, & ambiunt vestigare. De illis dixerim, quod de Alexandro Satyricus.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Inchoatam ad Sancti Nicolai oratorium, siue eremitorium, & omissam fossionem prosequi curant. Nocturno tempore furtiuè terram *terebrare, & cauas* audent *tentare latebras.* Per agrum quasi in hospita tesqua in tumultuarios incidunt tumulos, nec latere nec lapide fabricatos. In ipsa humo humata separata inuenta sunt cadauera. In vulgus sparsi, incerti dubiíque sermones,

ſermones. Aſſeruntur multi ſepulti reperti Martyres. Crania duo reperta vnum clauis confoſſum ſeptem, alterum trabali transfixum. Eiuſmodíque alia ſeriò affirmantur, & audita creduntur ſine capite, ſine auctore, rumore vulgante.

2 Hæc à foraneo Vicario, & Clero delata ſunt Cardinali. Opus prohiberi eſt imperatum, nimia tamen proteruitate, & audaciâ continuatur. At adeò arduum tantâ peruicaciâ, & obſtinatâ confidentiâ noluiſſem tentatum. Maximè cùm illicitum crederent, & furtiuum, ideò noctu, quaſi ſepulchrorum violatores. Quodque grauiſſimum eſt, laici profanis, & impuris, quos æſtimabant, & credebant Martyres, manibus contrectare, auferre, indigniſſimè partiri ſunt temerè auſi. At qui ad ſepulchra martyrum non autem in ipſis monachos & manſionarios operari ſolitos B. tradit Gregorius, vt ſuperiùs notaui.

3 An autem cadauera inuenta Martyrum ſint, nec ipſi conſentiunt omnes. Nihil de his ego dixerim, eorum enim omnium ex proceſſu, probationibus, loci ſitu, cæteríſque conſideratione dignis, non mihi plena, integráque notio. Omitto.

4 Nunc verò, Beatiſſimi Martyres BONOSE & MAXIMIANE, ſi veſtra elogia, & thaumata pro dignitate exprimere non valui, at magnoperè concupiui, ex mentis & voluntatis affectu, & conatu rude placeat opuſculum. Plura, maioráque de vobis credo, quàm ſcribo. Scribo autem, quia amo, & veneror, & amare, & venerari debeo. Debeo verò, quo enim vos die cæleſtem migraſtis in aulam, [a]. In auram gemini nos IOSEPHVS, & Bernardus terreſtrem editi ſumus. Natalitia olim lauta ſunt ſtructa conuiuia ad diem celebrandum natalem, qui omnibus erat hilaris & lætiſſimus. Sit & meus veſtri nominis honore, & fauore felix, & fauſtus, méque ſolum relictum fouete: meus enim chariſſimus ad vos abiit ſic piè credo, & voueo quem tam fixum cordi, & nomini volui, vt ipſius nomine gratiora omnibus ſint tanquam vtriuſque, quæcũque à me geſta dicta, ſcriptáve fuerint, & fuêre. Perenni igitur tutelâ & meritis morbos arcete, vires reficite, vt communem Dominum voſque laudare non deſinam, vtque poſt huius æui exilium ad ipſum euehar. O audite, & intercedite. *a* 21. Aug.

5 Hæc ſunt, Beatiſſime PATER, quæ de Sanctorum Martyrum inuentione & miraculis tenui ſcriptione raptim colligere curaui. Sanctitatis, aliíſque honorificis titulis vſus ſum, tum vt illa magis perſpicua, & dilucidior ſit, tum etiam vt affectum & fidelium exprimerem reuerentiam, qui ad foſſas, & omnia, quę ſunt eruta oſſa, non aliter quàm venerabundi accedunt, ſacroſancta, ſanctáque compellant. Hunc Hiſpaniæ antiquiſſimum morem, & ritum Beatus non improbauit Gregorius, qui de

B. Martyre

B. Martyre Rege noſtro Hermenigildo, *Nam*, inquit, *cæpit nocturno ſilentio pſalmodiæ cantus, ad corpus eiuſdem Regis, & Martyris audiri, atque ideò veraciter Regis, quia & Martyris. Quidam etiam ferunt quòd illic nocturno tempore lampades apparebant: Vnde & factum eſt, quatenus corpus illius, vt videlicet Martyris iure à cunctis fidelibus venerari debuiſſet.* Si iure hæc fieri ex debito par erat, cur etiam nunc eadem non fieri debeant? Cum quodammodò Dominus ſuorum mirabilium in his Sanctis recenſionem agere voluerit. Vt eius magnalia oſtenſa, recenſitáque publicè, publicis impreſſa maneant perpetuum tabulis. Eorúmque memoria poſteritati perennet repetita, & replicata recordatio. At ſic dicta, & accepta ſanctitatis, reliqua venerationis volunt, & teſtantur nomina ſe, modò à TVA ſancta Sede ſint probata, ſemper & promptiſſimi, quæcumque decreueris, & iuſſeris, obſequentiſſimè obedient, & exequentur. Quod autem ad me attinet, Deo, ac Sanctis, eóque ipſo tibi ſtyli pietate placere conatus ſum. Supplex meum votum TVVM magis merebitur affectum, & veniam, ſi quod ex animo volui, non ſum aſſecutus. Hæc tamen omnia quæcumque illa ſunt, ad ſacros BEATIT. TVÆ aduolutus pedes demiſſa, ſubmiſsáque cenſuræ, & iudicio, me ſimul addictiſſimum ſubiicio, & ſiſto ſeruum. Cordubæ pridie Kalend. Iunij CIↃIↃCXXX.

FINIS.

BEATORVM Martyrum Albensium Vrgavonensium BONOSI, MAXIMIANI, & aliorum ruditèr inventionem, & thaumata lineis pro impetu, & affectu designare cursim conabar. Necdum politas præceps præripuit celeritas. Hanc sunt typographi morati, morem dum servant. Remorati hi nõ solùm. Bella, pestis, teterrimaque hyems omnes præcluserunt vias. Ac veluti adhærens echeneis in veloci scriptionem detinet cursu, senescereque faciunt. In dies prodigia crebrescũt, novamque poscunt. Dilata magnum sumpsisset incrementũ. Obfuit obsequium, profuisset dilatio. Ex plurimis, quæ in dies continuantur, signis, instar omnium limen libo libenter unum aut alterum, An Sanctorum fas laudes silere? Faustè, quod de se Archilogus est gloriatus, mutato usurpo nomine:

Εἰμὶ δ' ἐγὼ θεράπων μὲν ἑνὸς ἀνάκτος,
Καὶ μαρτύρων ἐρατὸν δῶρον ἐπίσαμαι.

Sum quidem servus, cultorq; summi Dei,
Ac Martyrum ideò quàm pulchrum donum proferens.

A Sanctis Martyribus qualia dona? Incluta sanè. Quibus CHRISTI D.N. suo testantur se sanguine testes. Purpureæ ipsi velùt rosæ proprio, & patrio mixto rubescũt cocco. Extinctisque ex favillis ignes, claraq; luces certatim affunduntur. Ætherea etiam nũ Crucis trophœa splendidissima fulgent. Sunt multa, magnaque alia, quæ mirabilitatem stuporẽ ita faciunt, ut sancta, & sacra cũ silentio magis, quàm verbis boni venerantur omnes. Contra chorũ, ac communem sensum, & consensum aperiet quis os? Quod si ausus, risum merebitur. Noscere mihi satis fuerat, non promere. Impellor tamen, & compellor adserere. Iure meritò cum Psalte in exclamationem proruperim: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Quid à Domino nimium? Id prorsus, quòd tanta granditas, & maiestas humanam amplexatur exiguitatem, & parvitatem, celsitudo humilitatem. B. inquit Gregorius: *Magnum nimis, quod magnitudine potest quomodocumque dignosci, sed excellentia non potest cõprehendi.* Adstruitq; Martyribus id aptè congruere. Hisq; totum asserit mundum refertũ.

Lib. 3. in lib. 1. Reg. c. 14.

Homil. 27. in Evang.

Addo & ego signis & virtutibus. His ipsis Dominus probat, & cõfirmat suos esse familiares. Atq; apud se in summo esse honore, & pretio. Ex ijs, quæ non sunt à me recensita, selegi unum, quod in parva abumbratum tabella, in Sanctorum pendeat æde. Nostro id amplissimo iubente Præsule Cordubensi est comprobatũ ipsius foraneo Vicario duobus ipsi assidentibus paredris disquisitio est mandata. Qui veritatem multis attestantibus evidentem fecerunt. In mensis Decembris fine desinentis anni millesimi sexcentesimi trigesimi.

Vulgò Castro el Rio.

2 Eiusdem anni mense Septembri iam adulto, in Castris Posthumianis, quodam Numinis impulsu, cives ad ducentos sibi invicem religiosam ad visitandos Martyres Vrgavonem votis cõceptis condixerunt peregrinationem. Primarios è Clero ductores devotæ sequebantur turbæ omnis ætatis, sexus & conditionis. Sacrosanctum Crucis præferebatur pulcherrimum vexillũ in Sanctuario collocandum. Multiplex apparatus, familiæ, & impedimenta non exiguæ manus referebat speciem. Noctu propter æstivi tẽporis calores iter est peractum. Albẽte cælo pervenitum in municipium. Festivę pompæ supplicatio ingreditur, & excipitur ornatu. In purissimę Virginis Deiparæ conveniunt omnes æde. Divinis simul adstant mysterijs & concioni. Quæ solenni ritu ab advenis sunt celebrata. Sanctaque exomolegesi expiati, Sacræ EVCHARISTIÆ Divino sunt PANE refecti. Eodem mox ordine Sanctuarium adeunt. Sanctos Martyres, eorum fornaces, & rogos, simulque illa sancta loca pio venerantur affectu. Ingentique alacritate erigitur, & figitur Crucis speciosum trophæum. Pomeridiana hora sumpto cibo, à municipibus per vias & vicos Sanctorum lipsana, & cineres religiosè emendicant, & pijssimè erogantur.

3 Sole in occasum vergente hilares regrediuntur, obulconem prætergressi nõ longè à rivulo, falso ad puteum in satis commodo metati prato per familias, & contuberniamulta nocte ad cœnam assident. Paratus ex cistarcijs promitur commeatus. Sarcinulam dum se volutat, strigosus volutat asturco. Herus ab ea in mapula educit ova cum putamine elixa. Hæc per linteum pellucent. Ipso evoluto tria cæteris in volutabro attritis sic micare sunt visa, ut ad eorum splendorem legi, & scribi posset. Nox illunis, & qualis in autumno. Ab adstantibus miraculum conclamatur. Cõcurrunt certatim omnes. Inter primos adfuit presbyter virtute, & sanctæ Inquisitionis ministerio gravis. Is pro sua auctoritate duo reservavit, tertium iam direptũ fuerat. Prætanti

signi

ſigni admiratione ſtupor occupat omnes. Nec ſine religioſis lachrumis lux illa, quæ ſimilis adamantis, vel cæli, cùm ſerenum eſt, cernitur & conſideratur. Solertèr quæritur, & inquiritur à curioſis cauſſa. Occurrit, & probatur certior, & vera. Erant in eadẽ pera è Sanctorum cineribus typici paſtilli, ſeu formæ decenti obvolutæ orario. Ab his in volutatione colliſis tenuiſsimus reſultavit pulviſculus, putaminibusque inhæſit. Atque ex illo pollline lux affulſit. Alij verò credunt ex contactu. Duravit lux illa ad nonum uſque diem. Civium, & externorum concurſu conſpiciebatur.

4 Sanctorum ex cineribus, & vel minutiſsimis oſsiculis fulgores frequentèr emicant. Hiſque ipſis coruſcantibus corpora, quo condita in loco indicata ſunt. Seque planè Beati Martyres his luminibus, ſicut & ſanguinis eruptionibus Vrgavonenſes, & Argionenſes teſtantur. Patriam purpurâ, quæ Argiona eſt, & lucis coruſcationibus Vrgavonenſes. VRGAVO quippè LVCIS APES, ut dixi, eſt. Aptiſsimè ſanè. Cùm ipſi & Apes ſint. Nec extra analogiam, & proprietatem. Naturâ nãque potiores, melioreſque meliſas fulgore illuſtres Poëta perhibet. Duplicem vetat eſſe regem deteriore ablato, bono reſervato. Aitque:

Deterior qui viſus, eum, nè prodigus obſit,
Dede neci: melior vacua ſine regnet in aula:
Altererit maculis auro ſqualentibus ardens,
(Nam duo ſunt genera) hic melior inſignis & ore,
Et rutilis clarus ſquamis: ille horridus alter
Deſidiâ, latamq; trahens inglorius alvum.
Vt binæ regum facies, ita corpora gentis,
Namque alia turpes horrent, &c.
——— Elucent alia, & fulgore coruſcant
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis
Hæc potior ſoboles. ———

Li. 4. Georg. verſ. 90.

Noſtri igitur Martyres, ut optimæ, præſtantiſsimæque LVCIS APES, ſuas oſtentant ſplendoribus exuvias, & opes. Et tãquam pulcherrima ex fornacibus eruta vaſa aurea, aureis rutilãt ardentes radijs, & vario allucent fulgore luminoſi.

5 Vrgavonem cum concivibus honeſtus adit vir cum uxore, ipſiuſque amitina Anna de Corduba (hæc fratris, illa ſororis filia) Ab ijs Anna à triennio domi fuerat educata. Duodecimum annum agens à ſuis enixè petijt nutricijs, ut ſecum eam adducerent, & eſt adducta. Puella & candore, & ſinceritate alijſque virtutibus magnopere commendatur. Iam diu erga Sanctos Mar-

tyres

tyres magno affectu,& devotione,sive quòd de ipsis inaudierat, sive etiam simul,quòd eorum intercessione credebat se à periculoso morbo suffocante fuisse liberatam. In municipio cœlestis alimenti participationem devotè percepit. Et in itinere cordata segessit.

6 Peracta peregrinatione domum omnes læti perveniunt. Nõ multos post dies teter ingruit imber. Nubium atra, dẽsaque caligine procellosa oppidum occupat tẽpestas,tonitrua, & fulgetra,& fulmina fragore nimio inhorrent oppidani. Qui non ut aviculæ ad lauros,sed ad laureatos confugiunt Martyres. Seque eorum lipsanis uti certissimâ muniunt tutelâ. Anna verò à suo affini, qui inter familiares ea quæ Vrgavone obtinuerat,dividit, particulam reverenter accipit.& in folliculo ad collum appendit,& in sinu condit.

7 Sequentis mensis Octobris quinta decima die in annua B. Virginis Theresiæ celebritate ad Carmelitarum cœnobium frequentes oppidani conveniunt. Adest cum amitina & Anna , & eius familia. In ipsa verò concione dum insignia sanctæ Virginis referuntur miracula,incipit puella angustiari,eiusque pectus magno exæstuare ardore. Vultu,quanto prematur angore, perspicuè demonstrat. Innuitque,vestem removens,pectus cõflagrari. Summissè rogat,ut inde educatur. Ne concio turbaretur,obtinere nequit;præcipitur seriò,ut quiescat,& patienter toleret dolorem. Ipsa existimans igneum illum ardorẽ ex folliculo provenire, in sinum manum mittit, quæ sanguine imbuta recenti cum folliculo eodem etiam madido educitur. Eoque reserato sanguinem ab osiculo fluxisse evidentibus cognoscunt adstantes signis. Vident & subuculam cruore infectam. Mirantur,& silentio occultant prodigium. Mysterijs sacrosanctis peractis pervulgatum innotuit. Magnalia Domini magnificant omnes. Osiculum maximaque cum reverentia servatur.

8 Non ex eo Anna est elata , sed solitis domesticis obsequijs inservit,humilior & ferventior in Sanctorum religiosa devotione perstat frequentiùs.

9 Accipit ab amitina aliud osiculum hilaris, novoque indit sacculo,charta involutum, & in sinum pro more mittit. Sextâ verò Novembris die secunda ante meridiem hora,dum cibos ad foculum,ut solita,parat,somnum obrepere sentit. Vt quieti se dedat,in interiorem domus recedit aream,ad trabes in loco constitutas reclinata paululum dormitat. Maximo illico pectoris ardore excitatur. Querulâ clamitat voce se cõburi. Manu educit

saccu-

ſacculum cruentatum, & amitinæ oſtendit. Recognoſcit ea oſſiculum, à quo ſanguis, idem eſſe, quod dederat. Notat etiam & ſanguinem adhuc dilatari; & eum, qui digitis, ſubuculæ, & pectori hæret, recentiſsimum. Advenit opportunè presbyter ipſius levir. Continuòq; adſunt plures Clerici & laici: non tamen pari fide, qui tardiùs minus creduli; ſanguis enim ſiccus erat.

10 Iam Veſperi quinque regreſsi Sacerdotes de re adeò diſceptant ardua, in eamque veniunt ſententiam, ut iterum explorentur. Senior, ut experiretur, oſsiculum petit, & exhibitũ in ſucculum mittit, quem ſerico purpureo conſuit filo. Tricis, ac nodis ſic ſua nectit manu, ut nemo diſſuere poſſet, niſi nexibus ſectis. Tradit & puellæ, monetque amitinam, quanti momenti, & ponderis negotium. Neque ſe dubitare, ait, de Domini omnipotentia, atque puellæ virtute, ſed oportere in ſimilibus omnem ſolertiam, & curã adhiberi, ne qua fraus, aut illuſio ex ignotis cauſſis ſubſit, ac ſedulò caveat, nequa obrepat deceptio. Sic & alia pro rei gravitate edifferit; mulier illius maximè afflictatur verbis, ut quæ certò ſciret de puellæ ſinceritate, quòd non dolus, aut ſuſpicio cuiuſque fraudis eſſet. Ipſam eius conſolatur confeſſarius. Et ut omnibus veritas pateret manifeſta, cõſentaneum maximè fore, & neceſſarium his tentari experimentis. Illa noctem pervigilat precibus intenta ſummis, Dominum obſecrans, ut ſua declaret virtute, an ea miracula vera ab ipſo ſint.

11 Manè Novẽbris ſeptima, Anna ciborum incumbit in curam. Eâdem ferme horâ, qua pridie, ſomnus occupat, iuſſa in lectulo recumbit. Vix obdormierat, cùm ſolitus opprimit æſtus, ſurgit, & maximo pectus torqueri queritur dolore. Sacculũ educere conatur; ſed prohibetur. Evocantur ocyus presbyteri. Adveniunt, ſimul & magiſtratus cum curia. Presbyter idem omnibus præſentibus perplexos acu ſenſim diſſuit nexus, eoſdem aſſerens, qui à ſe fuerant intricati. Oſsiculum etuit, ex eo conſpicitur à cunctis ebulliens cruor fluere, & chartæ involucrũ, eo imbutum. Advertuntque omnes diligentèr. Nec eſt, qui ambigat. Certiſsimum mirantur, & reverentur miraculum.

12 Eâdem die, ſecundâ poſt meridiem horâ, presbyter alius oſſis adducit fragmen, & folliculum induit, & puellæ tradit. Seque ait dubium, an ex ſanctis ſit Martyribus, licèt ex eo ſuavis affletur odor. Suſcipit illa, in ſinuque condit. Poſt duas circiter horas notus advenit Clericus. Is ab jis efflagitat oſſa ſanguine conſperſa oſtendi. Anna educit folliculum ſericum novum è ſinu. Promptoque oſſe ſanguineę ſtillæ recentes cernuntur. Amitina

iubet pectori iterum adhiberi. Paret parvula. Mox magnâ premitur anxietudine. Amitinã enixè precatur, ut removere sinat. Detenta vultu, clamore, collachrymatione, & etiam animi deliquio doloris significans magnitudinem soporatur. Subitò expertecta emergente dolore ingemiscit. Inter hæc plures è Clero, & plebe ventitant. Alij evocati, alij vulgante fama miraculũ. Adfuit & magistratus; demum & Ecclesiasticus iudex. Absque hæsitatione ulla omnes perspicuè cernunt manantem, fluentemque sanguinem ab ipso osse. Eoque charta, folliculus, & digiti liti inspiciuntur. Summa veneratione Dominum glorificant, gratiasque agunt, tam insignis miraculi suspiciunt excellentiam.

13 Ea nocte duo simul osicula in ipso sacculo ad puellæ collum appendit eius amitina. Postridie sexta feria Novembris.

Octava, dum foculi consueta exequitur obsequia somno gravata paululum obdormit tremens, ac gemens. Dolor rursum redit acerrimus, excitatque violenter ingenti fervore. Sacculum auferri clamore postulat. Ablatus, humectus, & cruentatus reperitur. Sanguis ab osibus erumpebat, qui involucra imbuere est visus.

14 At puella, quòd vehementi, & intolerabili vexetur, & opprimatur pectoris dolore, refugit, & omni nititur, & contendit vi, nè sibi Sanctorum apponantur ossa. Iurataq; testata est quoties ab his sanguis profluit se suavissimo perfundi odore. Ipsius pietas, virtus, & sinceritas à iudice, assessoribus, & testibus magnopere commendatur. Atque in sua depositione hæc modesto refert modo. Se Sanctos Martyres Vrgavonenses religioso venerari cultu. Inque eorum honorem frequenter Virginis Deiparæ Beatissimæ rosarium, vel aliquam partem CHRISTO D. N. magno offerre affectu. Cuius suavitate eius affluere sensum. Ex eoque nonnunquam Martyria somniare, ut inaudierat. Hæc illa. Vnus verò ex parochis, qui duabus ei noctibus adstitit dormiẽti simul cum eius amitina, & ipsius viro, tres integerrimi, & oculati testes testificantur: Quòd cùm puella placidissimè quiesceret somno audita est hæc verba proferre: *Infantulus* IESVS *ad Crucis imum adstat stipitem.* Deinde amitinam vocans clamabat: Thia (Romaica nostra dialectos Græca voce Patrueles, avunculos, materteras, & amitas Thios, & Thias compellat, & honoris gratiâ puella seniorem non amitinam, ut erat, sed amitã semper vocat) *Thia manum mi præbe, Genua flecte,* ET IESVM CHRISTVM *adora.* Mox quasi lallabat, & blãdiusculè arridens puerulum IESVM soporabat. Ac pijs modulata mulcebat cantiuncu-

Oita.

lis.

lis. Hac nempe & similibus: *Vt filij Virgo perluit crepundia Maria. Ac pressa in libanotide expandit.* Sed gratia, & lepos omnis Latino non exprimitur sermone. Aniculæ, & nutrices his versiculis soporem suis advocant pusillis. Scilicet:

Como lo lava i tuerce la Virgen Maria,
Como lava y tuerce, i en romerico tendia.

Rursus addebat: *Vis, mi pusille, ut in tuis recumbam cunis? Ex peregrinatione namq; lassitudine sum defatigata.* Canoro etiam lallantis tono & modulo clarè sæpius inculcabat de Sanctorum Martyrijs. Aliquot nimirũ Sanctandreana fuisse cruce decussatos, alios raptatos, alios vivos in fornacibus Sanctuarij combustos; alios è saxis, & turribus præcipitatos. Alios muris in ipsis obstrusos sicuti in parietubus occlusos. Alios manicis, compedibusque vinctos è turrium fastigijs in præceps deturbatos & in puteum projectos. Subiungebat deinde: *Eheu Sancti Martyres, quàm immania tormenta, & Martyria, quamq; sævos passi estis cruciatus à nequissimis illis!* Atque ad singula quæque replicabat. Quàm pulcher, mirabilisque locus! Quam pulcher, mirabilisque locus! Hæc ab ea referunt, & testantur dicta in somnis, & inaudita non alia. Quod manè interrogata silentio occultabat.

15 Hac sanguinis tam frequenti fluxione terrentur multi. Ac immane aliquid, strages horribiles, cędesque portendi verentur. Signorum densitate nonnulli præstringuntur. Atqui plura, maiora sunt spiritalia quàm corporea. Omnia manifestè Dei digitus, non humana efficit industria. An hæc promiscui sexus, & ætatis frequentem multitudinem in tenebris, ipsoque noctis silentio, & conticinio, eodem verborum continere valeat? At qui nõ huius, sed illius mirificus est effectus, & opus. In maximo per latissimos, lætissimosque campos in vijs concursu Fescennina, sotadica carmina, dicteria, scommata, convicia, quibus rusticuli, agrestesque operæ urbanos urgent, & verberant impudentissimè, ille certè frenat, fremitusque cohibet consuetos. Hominum metamorphoses à vitijs ad virtutem, vitæ, morum reformationẽ: plurimaque religiosa nõ ab alio certè, quàm ab illo. Ipse est, qui omnes caliginosas tenebrarum conterit potestates. *Quæ conventio lucis ad tenebras?* In sole caligat, qui in tanta luce non discriminat, quæ sunt ipsius, vel contraria Cimmerijs obsita tenebris.

16 At quæris causas. Effectus conspicui, illæ latent. Omnium ratio gnesia, & quasi ex oraculo redi nequit. In abstrusis aptè physiologus dixit: *Nec quærenda in ulla parte naturæ ratio, sed voluntas.* A Divina hæc proveniunt. Ac ut dixit Apostolus: *O altitudo*

Plin. lib. 38. cap. 4.
Rom. 11.

do

do divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! Infert subinde: *Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?* Eximiam in his emphasin observant Chrysostomus, & Theophylactus. Divina namque iudicia vestigari nequeunt, nedũ comprehendi. Investigabiles, seu potius ininvestigabiles, ut Græca phrasis habet, sunt viæ eius. Sensum summum Altissimi, ac eius mentem, ut est, etiam in eadem dictione percipere potest nemo. Divinorũ consiliorum adyta abditissima valet quis penetrare? Abnuit Apostolus. Ab eius consilijs næ nullus. Illorum, ac arcanorum con-
C.9. v.12. scius quisquam est! Vnde Sapientia: *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Divinæ voluntatis abyssum, ipsiusque scopum; finem, in quem collimet,
Ibidem. an est qui valeat odorari, aut conjectare? *Sensum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?*
Eccli. c.3.22. Consultius omnibus fuerit, si Sirach filij consilio pareamus: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.*
Proverb. c. 25.27. Dixit & Pacificus Sapiens: *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.*

17 Atqui B. Augustinus tàm aptè, quàm elegantèr de miraculorum dilceptat ratione. Plura sunt, quàm hîc expedierit, cuncta
Lib.21.c.7. inserere. Non præterierim tamen nonnulla. Loquitur de mirabilibus naturæ rebus, quarum summa credendi ratio sola est creatoris omnipotentia. Cùm aliquot retulisset: *Hæc*, inquit, *de lapide Albesto, &c. Hæc de cæteris, quæ piget retexere, quibus licet vis insolita contra naturam inesse videatur, alia tamen de illis non redditur ratio, nisi ut dicatur, hanc eorum esse naturam. Brevis sanè ista est ratio, fateor, sufficiensq; responsio. Sed cùm Deus auctor sit naturarũ omnium, cur volunt fortiorẽ nos reddere rationẽ, quãdo aliquid velut impossibile nolunt* CREDERE, *Eisq; reddit ionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse* VOLVNTATEM *Omnipotentis* DEI: *Qui certè non ob aliud*
Enchirid. ad Laurent. c. 96. & lib. de natur. & grat. c. 7. Tertull. de carn. Christ. cap. 3. *vocatur omnipotens, nisi quoniam quod vult, potest.* Eãdem sententiã habet in Enchiridio, & alibi. Tertullianus brevissimè: *Deo nihil impossibile, nisi quod non vult.* Concinit Rex Psaltes: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.*
Psal. 134. v. 6. & 113. 3. Aug. c. 8. eodem lib.

18 Profert deinde idem Augustinus historiam ex M. Varronis libris. *In cælo, inquit, mirabile extitit portentum; nam stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem, Homerus Hesperon appel-*

lat

lat pulcherrimam dicit: Castor scribit tantum portentum extitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum; quod factum ita neque antea, neque postea sit, &c. Hoc certè Varro tantus auctor portentum non appellaret, nisi esse contra naturam videretur, &c. Quid ita dispositum est ab auctore naturæ cæli, & terræ, quemadmodum cursus ordinatissimus siderum? Quid tam ratis legibus, fixisq; firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui summo regit imperio, ac potestate, quod condidit, stella præcæteris magnitudine, atque splendore notissima colorem, magnitudinem, figuram, & (quod mirabilius est) sui cursus ordinem, legemq; mutavit. Elegantèr dixerat Magnus Areopagi Senator Dionysius ad Polycarpum: *Nihil unquam cælestis ordinis ac motus ulla ratione immutari potuit, nisi auctorem suum, a quo ut esset, accepit, & cuius maiestatis potentia continetur, in hoc se incitantem habuisset.*

19 Resurrectionis veritatem ut adstruat idem Augustinus, Martyrum firmat miraculis: *Cui*, inquit, *nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur* CHRISTVS *resurrexisse in carne, & in cælum ascendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres huius fidei Martyres, id est, huius fidei testes, fuerunt; huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum, & crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro ista fide mortui sunt, qui hæc à Domino impetrare possunt, propter cuius nomen occisi sunt. Pro hac fide præcessit mira eorum patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur, &c. Quare Martyres tanta possunt, &c. Sive enim Deus ipse per se ipsum miromodo, quo res temporales operatur æternus, sive per suos ministros ista faciat, & eadem ipsa, quæ per ministros facit, sive quædam faciat etiam per Martyrum spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos: sive omnia ista per Angelos, quibus invisibiliter, immutabiliter, & incorporaliter imperat, operetur: ut quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant: sive alia fiant istis, alia illis modis.* QVI NVLLO MODO COMPREHENDI A MORTALIBVS POSSVNT, &c. Subdit deinde: *Faciunt autem ista Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, quâ eos non deos esse nostros, sed unum Deum habere nobiscum credimus.*

Lib. 22. c. 9.

De his B. Thom. 1. p. q. 110. art. 4. ad prim. & 2. 2. q. 178. ar. 1. ad pri. & tert. & lib. 3. cont. gent. c. 103. Eodem lib. cap. 10.

20 B. Cyprianus, aut alius eius nomine, de Martyrum laudibus: *Totum hoc*, inquit, *in laudem martyrij spectat, totum gloriam passionis illuminat, in qua spes futuri temporis cernitur. In qua* CHRISTVS *ipse operatur, &c. Non enim dubium est, quantum à Domino cõsequantur, qui saluti suæ nomen Dei prætulerunt, ut in illa die meliores cruor faceret, quos sanguis suus Martyres esse monstraret.* Eum prævenientes diem suo nunc sese Martyres monstrant.

Tom.9. tract. 24. & 44. In Ioan.

21 Verùm idem ipse Augustinus de CHRISTI D. N. clarissimis infit signis: *Ea, quæ fecit Dominus noster* IESVS CHRISTVS, *stupenda, atque miranda, & opera, & verba sunt; opera, quia facta sunt; verba, quia signa sunt.* & iterum: *Miracula quæ fecit Dominus noster* IESVS CHRISTVS, *sunt quidem divina opera, & ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem, &c. Interrogemus ipsa miracula; quid nobis loquantur de* CHRISTO, *habent, si intelligantur, linguam suam. Nã quia ipse* CHRISTVS VERBVM DEI *est, etiam factum* VERBI *verbum est.* Scrutari & odorari fas, quid nobis hæc tanta significent signa. Delectamur auditis, sed multò magis intellectis. Non ex eo, quòd quis non capiat, nutet fide, & illis ambigẽs abroget. Quisquis rationem, caussas noscere avet, numen, eiusque opera veneratus supplex mentis caliginẽ petat sui luminis claritate illustrari, ut secretissima, abstrusa, clusaque mysteria cernere valeat. Augustissima illa non dedignatur pulsanti aperire, & petenti dare, quod unicuique expedit. Beatus cui tantum donum concessum, ut & Poëta cecinit:

Lib. 2. Geor.

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas.

Lib. 7. de civ. c. 9.

Additur in Augustino: *Deus est habens potestatem caussarum, quibus aliquid fit in mundo.*

22 Quisquis verò non assequitur, non ideò incredulus persteret, sed oculos, animumque conferat in eum, in cuius cõspectu adeò est iustorũ mors pretiosa. Quæ teste Martyre Cypriano: *Immortalitatem emit pretio sui sanguinis.* Assentit & Augustinus: *Et quot ante mortem pro* CHRISTO *pertulit supplicia, tot de se obtulit sacrificia.* Nõ autem hæc holocaustomata sine igne, is erat amoris & charitatis, non arenti, sed ardenti, & ferventi fuso cruore. Quod de unoquoque Confessore sancta psallit Ecclesia, aptissimè nostris congruit Martyribus:

Lib. 2. ep. 6. Serm. 44. de Sanctis.

Ad sacrum cuius tumulum frequentèr,
Membra languentum modò sanitati
Quolibet morbo fuerint gravata.
Restituuntur.

Ampliora sanè coronamenta parata, his servantur cum palmis, qui eximio certamine victores extitêre, de his nostra mater canit Ecclesia:

Quæ vox, quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu Martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido sanguine laureis
Ditantur bene fulgidis.

Qua-

Quales hæ sunt, quibus vincti frontes, & tempora absque tẽporis fine ante AGNI exultant thronum? Nostri verò in exuvijs apertissimè, & manifestissimè declarant, quali fruuntur gaudio, & gloria.

23 Cineres verò, & ossa naturâ suâ nullum unquam continent sanguinem. De extinctis favillis nemo non videt. De ossibus quis ambiget? Exanguia prorsus sunt. Philosophorum ductor, & doctor his docet verbis: *Nervi, & ossa calore interiore conficiuntur* ξηραινομένου *siccescente, & arente humore. Quamobrem ossa resolvi ab igni non possunt, quomodo testa indissolubilis est.* Inferiùs rationem reddit: *Nervus siccus, & ductilis, os* ξηρὸν *siccum, aridum, & fragile.* Caret scilicet sanguine, *qui necessarius adeò sanguineis animalibus est, ut absque eo nequeant existere. Hic venas, vasa, & conceptacula habet, nec in ullo alto, nisi in corde præter venas continetur.* Hæ namque ex corde (seu, ut aliis placet, è iecinore, venarum omnium principio, primoque sanguinis generandi instrumento,) sanguinem recipiunt, isque in ipsis in aptissimis conservatur vasibus: *Atque sine vena sanguis nequit consistere.* Ossibus verò nulla inest vena, arida namque sunt, nec venis ullo modo apta, sicut nec arterijs. Asserit & Hippocrates non semel, simuletiam: *Maxillas solas inter ossa venas in sese habere:* Nec dissentit Plato, sicut & Galenus, qui pluribus in locis fusè disputat. Sequuntur alij, nec est qui abnuat.

Arist. de gen. animal. lib. 2. c. 6.

Idem lib. 3. de hist. anim. cap. 19.

Idem lib. 3. de part. animal. c. 5.

In Timeo.

24 Adstipulantur sacræ litteræ. Vates Ezechiel: *Facta est, inquit, super me manus Domini, &c. & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus. Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi siccaq; vehementer, &c. Et dices: Ossa arida, audite verbum Domini.* Sicca & arida Septuaginta habent ξηρὰ, sicut & Aristotel. ξηρὸς porro, siccus & aridus, cui opponitu ὑγρὸς, humidus, & madidus. Frequens Homero lexis, quâ mare significat, ut in sacra Pagina terra vocatur ξηρὰ arida: *Et aridam fundaverunt manus eius.* Terram, quæ naturâ suâ sicca & arida est.

Cap. 37.

25 Iulius suffragatur Pollux: *Ossa, inquit, sunt sustentacula corporis solida, insensibilia, exanguia* ἄναιμα, *& motus ministri.* B. etiam Basilius dixit fulcimenta carni constabiliendæ. Hisque tamquã connexiva ligamentis harmonica vis concors vires corporis cõservat. Et carnis teneram suffulcit molliciem. Eoque ipso, quo Vates arida & sicca dixit, humore prorsus omni, ut B. notavit Hieronymus, carentia. Emphaticas hanc phrasin coniunxit Auctor ad Herennium de exili agens sermone: *Veniunt, inquit, ad aridum, & exangue genus orationis.*

Lib. 2. c. 5. §. 1.

In Psal. 33.

Cruen-

De hist. Animal. lib. 3. c. 20.

26 Cruentus ossibus deest humor, non autem medulla. Aristoteles: *Omnia verò, quæ suapte naturâ humida in corpore sunt, conceptaculis quibusdam tanquam vasculis continentur. Sanguis in venis, medulla in ossibus, &c. Sed quamquam medulla non nisi inclusa ossibus est, tamen non ossa omnia medullam in se continent, sed ea tantum, quæ cava habentur, tametsi nè ipsa quidem omnia continent.* Egregiè etiam Plato in Timæo: *Ossuum verò, & carnis, cæterorumque huiusmodi, ita est natura composita. His namque omnibus medullæ generatio initium præbuit. Vincula enim vitæ illius, quam anima corpori iuncta ducit, applicata medullæ, ex eaque per omne diducta vinciunt, fulciuntq; corporis nostri constructionem. Ipsa verò medulla est ex alijs generata.* Fusiùs reliqua prosequitur eleganter pro more.

Gal. de usu par. & de natur. facult. Plinius lib. 11. c. 37. in fine.

27 Vitæ itaque conservatrix, & fautrix medulla, totiusque corporis robur & fulcrum. Ossa verò uti arida igne æquè naturæ molli hoc, succulentoque indigent nutrimento. Quo alta perfunduntur, nè prorsus exsiccata pereant. Multa de ea Galenus, Plinius & Hippocrates. Non tamen eo quo Metrodorus sensu, Qui alter Epicurus, eiusque assecla, sodalis, & collega: *Omne bonum in visceribus, & medullis condidit: & diffinivit summum bonum firma corporis affectione, exploratacq; spe contineri.* Longè aliter Sapiens Rex: *Nè sis sapiens apud temetipsum, & recede à malo. Sanitas quippe erit umbilico tuo* [visceribus nimirum, & internis omnibus] *& irrigatio ossium tuorum.* Pingui videlicet adipe quasi herbarum areolæ leni irrigatione, assiduoque rore ossa arentia adaquabuntur. Arrestatus fuerat & patientissimus Iob: *Viscera plena sunt adipe, & medullis ossa eorum irrigantur.* Allegoricè B. interpretatur Gregorius *Fama quippe bona*, eodem Rege diffiniente, *impinguat ossa, spiritus verò exsiccat ossa.* A medullis igitur omnis bona vel mala ossuum constitutio. His exhaustis perit, impinguatis animal vivit. Lepidè Comicus:

Cicero de eo multa. Proverb. c. 3. 7.

Lib. 15. Moral. c. 33. Proverb. c. 15. & c. 17.

Plaut. in Stich.

At ego periij, cui medullam lassitudo perbibit.

28 Ossa multorum sæculorum serie medullis consumptis, & sanguine semper cassa, Isaiæ vaticinio, florida futura asseruntur. Septuaginta: *Ossa tua sicut herba orientur, & reflorescent.* Sanctus Cyrillus, & Procopius de resurrectione capiunt, sicut & illud: *Ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini servis eius:* Septuaginta: *Ossa vestra sicut herba germinabunt, & innotescet manus Domini intuentibus eum, & mirabitur incredulis.* Ad horũ redargutionem, & reprehensionem simul, & comminationem arentia nunc germinant, & vernant ossa. At instar olei fluit è saxo durissimo, manatque ex solidis, in quo numquam fuit ebulliens,

Cap. 58. 11.

Cap. 66. 14.

liens, tepidusque sanguis. Ij sunt, qui protuberant flores. Hæ coccineæ rosæ, violaceæ, ianthinæque violæ. Occisa, exanguiaque corruerant, & combusta sunt corpora. Vitali etiam medullæ, & sanguinis succo, etiam vetustate exhausto sola illorum fulcimenta mãserunt inutili, carioso simillima ligno. Aridiora flavis aristis, paleis, culmis, festucis, & stipulis, & ignibus solummodo aptis, conspiciũtur ossa. Nunc verò ut si viridi revixissent eorum compagines iuventâ, nõ à carne, non venis, sed exanguibus sanguis fluit ex ossibus. Quæ fumanti, ac candenti rubescunt cruore. Qualisque ille profusus olim fuerit in ijs, quorum fuerãt fulcra ad eorum honorem nunc repræsentatur. Frigida & arida non iam in corpore, nec ad stabilitatem eius, ullamvè actionem, vel motum commoda: fontium velùt scaturigines barrano scatent humore.

29 Hæc non casu, fortuitòvè accidunt. Inscrutabili Dei agũtur, & diriguntur providentiâ. Arcana sanè in his latent mysteria. Monitis pareamus B. Augustini hoc nos ad similia suadentis modo: *Omnia ista innuunt aliquid: intentos nos faciunt, ut pulsemus hortantur. Ipse cogo aperiat, & nobis & vobis, qui dignatus est ita hortari, & dicere: Pulsate, & aperietur vobis.* Precemur igitur nos, ut sapientiam det, & suum sanctissimum de altissimis mittat SPIRITVM, qui doceat nos. *Tracta. 15. in Ioann.*

30 Præterea, quæ omnibus primariâ occurrunt intelligentiâ; Deum nimirũ hos suos significare, & declarare Martyres. Sunt & alia quibusdam quasi typis & symbolis clusa, & sigillis munita. Ex his veluti silicis venis calybe, hoc est consideratione refricatis & excussis igneæ resultabunt scintillæ. Ex his lumen, à quo altior, superiorque sensus sive mysticus, vel tropologicus, aut allegoricus, nõ alia quàm ex Patrum mente & doctrina meis erutus conatibus fit.

Ossa figurata tropicaque locutione in mystico Ecclesiæ corpore firmiores, viribusque fortiores, ac robustiores dicuntur. Hi namque indicantur, quales Sancti omnes, & iusti, maximè verò Apostoli, & Martyres, necnon cæteri, quos Sanctos compellat Ecclesia. Quorum valentiores fuere animi facultates, his, qui CHRISTI D. N. vestigia sũt secuti. Magnus mystatogogus Vigilantissimus Gregorius. Et ossa mea sicut cremium aruerunt: *Per ossa rationem, & intelligentiam possumus accipere, quæ quasi sicca remanent, dum factorum, & virtutum pinguedinem non habent, de qua profecto pinguedine dicit Propheta*: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. *Vel per ossa fortiores, qui sunt in Ecclesia, accipi-* *S. Gregor. in Psal. 4. Pœnit.*

mus, quia sicut per ossa corpus nostrum vegetatur, ita per illos corpus CHRISTI, *quod est Ecclesia, regitur, & sustentatur. Habet enim corpus* CHRISTI *carnem suam, infirmos scilicet virtutum carentes fortitudine, qui perfectorum indigent sustentatione, &c.* Luculentèr ad-
In Psal. 33. modum multa & alia dissertat. Sicut & B. Basilius eximiâ facũdiâ. Clausula est: *Quemadmodum ingenita, sibi vi pretteneram carnis molliciem suffulciunt ossa, & pressius contrahunt, itidem sunt in Ecclesia quidam, qui possint suâ ipsorum constanti firmitudine debilem suffulcire, ac ferre imbecillitatem. Et sicut ossa inter se connectuntur secundum commissuras articulorum, & hæ consertiones nervis firmantur, & ligamentis, quæ ossibus adhærescunt: Idem prorsus contigerit, si charitatis, pacisq́ colligatio in Ecclesia Dei veluti cognationem quamdam conficiet spiritualium ossium, & in unum conspirantem*: Iterum & idem Mag-
Lib.20. Moral.cap. 21. nus Gregorius: *Quid per ossa, nisi fortes quique in sanctæ Ecclesiæ corpore designantur? Qui quasi suo robore membra continent, dum*
Lib.23. cap. 18. *mores infirmantium stabiliter portant. Quid autem hoc loco carnis nomine, nisi ipsa delectatio carnalis accipitur? Vel quid per ossa, nisi virtutes animæ designantur? Tabescit ergo caro, & ossa nudantur, quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea, quæ dudum, quasi sub carne latuerant, virtutum fortia patefiunt. Nemo quippe quantum profecerit, nisi inter adversa cognos-*
In Psal. 21. *cit, &c.* B. Hieronymus, aut quisquis alius: Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea] *Sic voluerunt Judæi* CHRISTVM *extinguere, quasi aquam, quæ hauritur, & dispergitur, & non revertitur.* Dispersa sunt omnia ossa mea: *Ossa*
In Psal. 3. CHRISTI *Apostoli dicuntur, quia sicut caro ab ossibus roboratur, ita & corpus* CHRISTI, *quod est Ecclesia ab Apostolis, & Doctoribus firmatur: Ossa namque fortes Sancti, vel virtutes Eccle-*
B. August. in Psal. 21. & *Psal.* 30. *sia, vel Sanctorum.* Multa & alia sancti Doctores.

31 In lingua Sancta GAREM os compellatur. Hocque nomine dicitur & fortis, durus, sive osseus. Omitto exempla, ac alia, quæ proferre possem. In ijs qualitas, & ossium fortitudo insinuatur. Sunt etiam plures emphaticæ, & metaphoricæ phrases, quibus elegantèr explicantur, quæ in ossibus maximè pollent. Ideò eorum proprietates ad similia in sacro eloquio transferuntur. De quibus nunc non sermo. Est autẽ, aptissimè Martyribus congruere, ut sub ossuum nomine intelligantur. Horum illis omnis analogia peræquè quadrat.

32 In ossibus æternitatis spem symbolicè contineri, gra-
In Psal. 54. phicèque describit B. Hilarius, dissertat elegantèr: *Ossa non hæc corporalia dissipanda intelligenda sunt: Sed quia spes æternita-*

tis

tis significari solet, ex quo dictum est: Hoc nunc os ex ossibus meis. Quod B. Apostolus, quia magnum mysterium est, ad CHRISTVM, *& ad Ecclesiam refert, quæ ex Adæ sui æternitate, æternitatis substantiam mutuatur; quod in Domini vulnerato licèt corpore, confixique non frangitur.* Os, *inquit,* eius non conteretur: *Quia cùm fuerit iniquis ius passionis in carne, in æternam tamen Divinitatem, & impassibilem naturam nihil licuit passioni. Integram autem, & incorruptam spem æternitatis significari in omnibus etiam illic meminimus, ubi dicitur:* Custodit Dominus omnia ossa iustorum, unum ex his non conteretur: *Quia secundum demonstratam Ezechieli resurrectionem, Sacramentum eius sub ossium significationem fuit revelatum.* Et alibi: Os CHRISTI Ecclesiam esse multis exponit. *In Psal. 33.*

33 Futuram suspiciebant æternitatem sancti Martyres, in sævissimis supplicijs, B. Isidorus ait Pelusiota: *Qui non aliter mortem amplexi sunt, quàm aditum ut quasi proœmium quoddam ad immortalitatem.* Elegans certè in his antithesis. Similiter qui & B. Cypriani nomine: *Meritò nihil vobis, ô boni Martyres, denegatum, quos spes æternitatis alit, & lucis, quorumque devotio universa, & mens cælesti dedita cernitur, & servituti.* Non aliter & Tertullianus Martyras alloquitur. *Vos benedictæ* [sive animæ, sive fœminæ martyrio designatæ] *quodcumque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi, & corporis deputate. Bonum agonem subituræ estis. In quo agonothetes Deus vivus est Xystarches:* SPIRITVS *sanctus Corona* ÆTERNITATIS *bravium; Angelicæ substantia politiæ in cælis, gloria in sæcula sæculorum. Itaque Epistates vester* CHRISTVS IESVS. *Lib. 4. epist. 52. De Laud. Martyr. Ad Martyr. cap. 3.*

34 Martyres Divini amoris thyrso transfixi sunt mystici Ecclesiæ corporis ossa, & fulcimenta: *Custodit,* inquit Augustinus, *omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Ossa dicuntur in corpore Domini omnes iusti, firmi corde, fortes nullis persecutionibus & tentationibus cedentes ad consentiendum mala. Sunt, & firmamenta fidelium; quomodo enim in carne nostra ossa faciunt firmamentum, sic in corde Christiano fides facit firmamentum. Patientia ergo in fide ossa sunt, interius ipsa sunt, quæ frangi non possunt.* *Psal. 34. Et in Psal. 33.*

35 Divini amoris tragula traiecti Martyres exultantes psallunt: *Omnia ossa dicent: Domine, quis similis tibi?* Incredibili perfusa voluptate, sensu licèt careat, iubilant, & suavi personant modulatione: *Dñe quis similis tibi?* Idẽ August. *O corpus* CHRISTI *sancta Eccle-* *Aug. in Psal. 34.*

Ecclesia omnia ossa tua. Domine quis similis tibi? Et si carnes meæ persecutione cesserunt, omnia ossa mea dicant: Domine quis similis tibi? De iustis enim dictum est: Diligit Dominus omnia ossa eorum, unum ex illis nõ confringetur. Eadem etiam habet & B. Hieronymus.

In Isai. c. 58.

36 Martyris ossa sunt, licèt discerpta, fracta, cõbusta, & alia ustulata, quæ reliqua ossicula, nũ clamãt, & concinunt: *Dñe quis similis tibi?* Vox deest, deest & sanguis. Illa corã tyranno fidem professa, hoc omni profuso testata est. Nunc autem est utriusque testis fide dignissimus, & oculatus cruor, ex jisdem ipsis aridis, & exanguibus erumpens ossibus. Is perennat, & clamat, & loquitur sicut Abel. Simul proponit sempiternæ, & felicissimæ, quæ fruuntur, æternitatis imaginem. Repræsentat etiam verissimum & certissimum, quod reddiderunt testimonium. Exhibentque succum, quo illud subscripsêre. Quod ut cunctis certius innotescat. Non frigidus manat sanguis, sed vaporans & fervidus quasi ex ipsis venis, quemadmodum ex patientibus corporibus profusus est. Vtque futuram resurrectionem indicet, & lucem aliasque eius dotes demonstret. Ossa, & sanguis fulgoribus frequentèr refulgent. Non putida, non putria ea esse ossa, ut constet, mirificus, & fragrans ex ipsis afflatur odor. Atque in his signis, eorumque singulis qualitates quinque iustus comperiet æstimator, quas non nisi à Domino provenire intelliget, & credet.

37 Omnia planè quæ de Martyrum laudibus Patres tradidêre, maximè nostris conveniunt. Licèt autem eorum gesta nõ extent. Quales fuerint, ipsa, quæ per eorum pignora Dominus operatur, manifestè declarant. Quisquis in Cypriano de martyrij laude eloquitur, non ab re, sed pro nostris sunt: *Quid ergo est Martyrium? Delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, iter patiẽtiæ, magister domus vitæ: quo perfecto etiam ea occidunt, quæ in futuro discrimine potuissent tormenta reputari, &c. Totum hoc in laudem martyrij spectat, totum gloriam passionis illuminat, in qua spes futuri temporis cernitur, in qua* CHRISTVS *ipse operatur, cuius aguntur exempla, quæ petimus, cuius est virtus, quâ repugnamus, &c. Non enim dubium est, quantũ à Domino consequãtur, qui saluti suæ nomen Dei prætulerũt, ut in illa iudicij die meliores cruor faceret, quos sanguis suus Martyres esse monstraret.* Mõstrat nunc etiam ante illum ipsum diem. Quique tunc fulgentissimus apparebit, nobis proponitur, ut ipsos credamus, qui tales olim fuerunt.

38 Eleganter Tertullianus martyrium secundam indigitat tinctionem, sanguinis nempè baptisma, sicut & aquæ. Vtroque lautos lavacri nostri se ostendunt Martyres. Ac se athletas prædicant

De patient. c. 13. & de bapt. c. 16.

dicant strenuissimè vicisse tyrannos. Concinnè admodum B. Ioannes Chrysostomus: *Bina*, inquit, *sunt acies, una quidem Martyrum, alia verò tyrannorum. Ac tyranni quidem armati, Martyres verò nudo pugnant pectore. A nudis tamen, non ab armatis victoria reportatur. Quis non obstupescat, quando is, qui virgis cæditur, cædentem vincit, & vinctus solutum exustus urentem, &c. Martyres nudos cùm in medium pertraxissent, ac revinctis post terga manibus, eos undequaque percussissent, ita vincebantur. Illi autem cùm vulnera excepissent, trophæum contra diabolum erigebant.* Crudeles hi carnifices Apocalypticæ coccineæ bestiæ similes, cui mulier de sanguine Sanctorum, ac Martyrum IESV CHRISTI D.N. ebria insidebat. Et ipsa purpurâ, & coccino circumdata. Bellua & fœmina similitudine, & vestitu pares: intus, & foris cruentatæ furentem exprimebant rabiem. Prosequitur Chrysostomus. Et videas nostros fortissimos certantes Argionenses sacro murice convestitos, ad vivum adumbratos: *Etenim*, inquit, *illis alligatis, ac fidiculis in equuleo vinctis latera fodiebant, profunde sulcos agents, quasi terram aratro sulcarent, non corpora lacerarent. Videre erat sinus apertos, pectora effossa, neque tamen ex cruciatu furorem suum explebat illæ sanguine pasta bellua, sed abstractos ab equuleo subiectos carbonibus in craticula ferrea extendebant. Tuncq; videre erat spectacula multò prioribus acerbiora, duplices guttas, e corporibus affluentes, has quidem stillantis sanguinis, illas autem carnium liquefactarum.* (An nostris non manibus contrectavimus, & oculis perspeximus has sanguinis, & carnium liquefactarum duplices in fornacibus guttas, quasi recentissimè fusas post tot sæcula?) *Sancti verò tanquam inter rosas iacentes in prunis, ita cum voluptate, quæ gerebantur, spectabant.* Prunas ardentes non vidimus, at extinctos carbones, & cineres, inter sacros compagum artus commixtos cernimus.

Homil. 74. de Marty. G.L.

39 Non igitur muti Martyres, sed Spiritu sancto afflati in ea protumpebant verba, quæ intrepidos carnifices, & tyrannos deterrerent: *Quando*, ait Pelusiota Isidorus, *iudicium terribile ante oculos est, & frequens populus, & rabiosi carnifices, & omni ex parte metus ingruit. Tum verò suum se auxilium præbiturum promisit (Deus.) Erat enim revera maximum quiddam homines huiusmodi, qui mutitare (ut sic loquar) an silentio nõ multo à piscibus differebant, tyrannis sedentibus, & præfectis, atque tribunis militum adstantibus, & gladijs nudatis omnibus illis inter se se* (contra ipsos) *conspirantibus vinctos ingredi in ipsorum conspectum, defixoq; in terram vultu vocem rumpere potuisse. Itaque meritò ipsi Divina sunt ope adiuti.*

Lib. 4. epist. 228.

40 Magna hæc equidem Martyrum laus tergemino cotuscabat

bat fidei, charitatis, & spei radio. Singularique pietate, ac imperterrita certabant virtute. Acsi proprio corpori ferarũ, & carnificum laniatus non obesset nihil sentienti. Aspicientibus horrendum, & inhumanum, patientibus gratum, & delectabile spectaculum. Animus, è procelloso illo cruciatuum acerbissimo oceano, atque à tetra illa caligine non aliter quàm splendidissimus clarior è nubibus emergens refulgebat sol. Æthereos imitãtes orbes nullis turbinum, nimborum, & tempestatum motibus turbatos: cruciamentorum, & suppliciorum acerbissimis immoti doloribus in serenissima manebant animi pace. Præclarè, qui Cypriani nomine: *Martyrij inestimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, nobilis virtus, inestimabilis titulus, triumphus immensus: quippè quo & propriâ confitentis laude præfertur, velut* SOCIO CHRISTI CRVORE DECORATVS. Ipse idem est, quem in ossibus erumpere videmus, ut eo DECORENTVR, QVI OLIM FVERVNT EODEM DECORATI. Dixerat prius: *Vidimus quippe, ad hunc nominis titulum fide nobiles venisse plerosque, ut devotionis obsequium mors honestaret. Sed & alios frequenter adspeximus interritos exstitisse, ut admissa peccata redimentes cruore suo loti haberentur in sanguine, & revivescerent interempti, qui viventes computabantur occisi.* Videmus & nunc quondam interemptos in suo redivivos cruore florere. Quis flos Martyrum, nisi ipsorum sanguis? Profusus nunc germinat & pullulat.

41 De Martyrum candidato plurima à Patribus tradita sunt cœtu: prætereo. Universa nostri saptissimè conveniunt. Quisquis non assentit, audiat Pelusiotam: *Si te illud offendit, quod Martyrorum corporum cinerem, propter eorum erga Deum charitatem, atque constantiam honore afficiamus; eos, qui ab ipsis medicinam accipiunt, interroga: atque, quot morbis remedium afferant, intelliges; sic fiet, ut non modò id, quod à nobis fit, non irrideas, cavillisq; incessas, verum etiam quod rectè, & cum laude fit, imiteris.* Facessat igitur calumnia. Et cũ Beatissimo (si Sanctissimus Summusque Hierarcha noster annuat) Martyre, & antistite exclamo Cypriano: *O beatam Ecclesiam nostram, quam sic honor Divine dignationis* ILLVMINAT, *quam temporibus nostris gloriosus* MARTYRVM SANGVIS ILLVSTRAT. *Erat autem in operibus fratrum candida,* NVNC *facta est in Martyrũ cruore* PVRPVREA, *Floribus eius nec lilia, nec rosæ desunt. Certant nũc singuli ad utriusq; honoris amplissimam dignitatem, ut accipiant coronas, vel de opere candidas, vel de passione* PVRPVREAS; *in cælestibus castris & pax, & acies habent flores suos, quibus miles* CHRISTI *ob gloriam coronetur.*

Lib. 1. epist. 55.

Epist. 11. Ad Martyr.

Non

42 Non incassùm, nec fortuitò plurima frequentantur signa. Eorum effectus probant virtutem. Illorum certè prolatio auctoritatem ipsis adfert, & fidem. Omnemque sibi sensibus, quasi integerrimis, ac incoruptis firmat testibus. Quis eam his abroget, & detrahat? Nemo sanè, si sanæ sit mentis.

43 A Castris Posthumianis oppidum nuperrimè civitatis honore nobilitatum Bujalance ad millia sedecim distat: a Corduba verò, in cujus est Episcopatu, quatuor & viginti. In eo Maria pusilla adhuc sine cognomine duodecimum agens annum, civi viro probo, eiusque coniugi bene morata ancillula inservit: virtutis indole sincera fideliter. Hæc, ut præsentaneum remediũ cinericij pastilli horum Martyrum partem tumori in manus sinistræ carpo, ut adhiberet, in pectore ad ipsum condit cor, Dominica die vigesima tertia Martij currentis huius anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi, post horæ quadrantem se sentit sensim incalescere, & aduri: ac heræ significat. Ipsa sinum nudat, & cinericiam rubescentem educit particulam sanguine delibutã recenti. Eius adspectu ambæ turbatæ consternantur, ac è manibus prolabitur formæ illius pars. Hanc reverenter elevant, & chartâ mundâ involutam iterum, in sinum mittunt. Simul autem domo exeuntes, in via æstuat secũdò eximitur involucrum cruẽtatum. Eòque in custodiam tradito formæ eiusdem pars altera pectori admovetur. Nec dum horæ medietate decursa, ijsdem ardore, adustione, etiam odore, & animi corripitur deliquio. Promitur particula cruore magis, quàm priore imbuta.

44 Lectissimæ fœminæ domum venerant. Quæ rei novitate intellecta, osiculum, quod secum deferebat, à Canonico Toletano sibi sanguinis necessitudine iuncto acceptum in puellæ sinu recipiendum curat. Mox maiore, quàm anteà æstuans ardore, magnoque animi deliquio ad parietem se demittit, sensibusq; privata manet. Educitur osiculum sic sanguine manante imbutum, ut fluentes guttas manibus excipere curarent. Inde abeuntes ad eiusdem Canonici patrem divertunt. Eius filia cinericiam formam & osicula puellæ condit in sinu. nec multa mora. iteratur ardor, & exanimatur parvula prompta cuncta cruenta simul apparent. Sed pusilla adeò lassa & fatigata, ut lectuli indiguerit laxamento; quo recreata ad Solis occasum domum regressa cum hera est. A concive ibi rogata, ne urbanitati deesset, osicula papyro amicta excepit, & pectori necdum admoverat, cum angoribus afflictata ijdem cruore conspersa promuntur.

Postera

45 Postera die quarta, & vigesima Martij apposito ipsi prò more osiculo per tres horas solitis intēta manet obsequijs. Exit verò in compluvium, in eoque, maioribus & gravioribus affecta molestijs sensibus collabitur destituta. Ad lectulum adductam eductum acerbissimo afflictat dolore osiculum cruore infectum.

46 Plura per sequentes dies usque ad Aprilis octavam diem in parvulæ sinum missa sunt ossa, & cinericij etiam pastilli. Non tamen ex omnibus erupit sanguis, nec pari in ipsis apparuit modo. Martyrum certo ea credita quæ sanguine conspersa. Semper tamen ijsdem correpta ardoribus ita fatiscebat, ut exanimis prolaberetur.

47 Cuncta ad Ordinarium deferūtur. Is nunc (quòd Ecclesia nostra Præsule caret) V.C. Don Consalus Castro Toboso amplissimi nostri Senatus Decanus, simulque Canonicus pietate & litteris conspicuus, ab eo iudex est primarius constitutus. Qui cum eximia religione in hos Martyres affectus, ipsorum invisecrat Sanctuarium, ac in eo speciosissimam erigendam Crucem suis curavit sumptibus. Iussit igitur per Vicarium assignato illi assessore diligenter probationes fieri. Nihilque omitti, quæ ad vestigandam veritatem opus fore intelligerent. Iudices ad rei cognitionem diligenter solertiam omnem adhibent. Pluribus Religiosis, virisq; probis receptis testibus, qui diversa signa patrata attestantur, & parvulæ animi candorem etiam & preces commendant & virtutem. Eamque tradunt auditam orantem, dum osicula condita in sinu. Atque ex ijs sæpius visum fluentē sanguinem, & guttas cadentes. Ipsa autem Aprilis nona die in assessoris ædes delata eadem ipsa iureiurando adstricta deposuit aliorum testimonijs perhibita.

48 Cætera cautè iudices provideri censent, & curant. Ex Lucinæ ministerio, & opitulationi addictis fœminis; artis Apollineæ etiam è peritioribus nobile binū iubent advocari par. Illæ ad præscriptum secretò diductam reducūt puellam. Seque in ea exploranda haud ignavè strenuā navasse affirmant operam. Simulque asserunt ætatula parvulam, prorsus sanguinis, nedum vulneris, seu plagulæ vestigio, & indicio alienam prorsus. In levo verò carpo tumorem (quem vulgus furunculum vocat) fuisse, verùm iā siccum, & sanum. Atque ab ipsis, cùm universa fuerint scrutata mundo indutam imdusio, ne quid suspicionis subesset.

49 Medici verò pusillam, ut erat, supra lectulum cubare, pectusque

ctusque præcipiunt nudari. id, vestes, cuncta quoque quantum possunt,& fas attentissimè rimantur. Nihil prorsus odorantur, nec notant, quod fraudis, vel versutiæ habeat indicium, vel minimam suspicionem. Et ad omnem abolendam, nè quis à pectore cruentus manet sudor, ut quandoque, rarissimè tamen cõtingit, cutis meatibus,& poris obstruendis,& obturandis, simulque comburentium ardorum refrigerationi efficacissimis comparatis etiam pretiosis & gelidis medicaminibus pectoris partes fovent,& studiosè subventas curant. His ex artis non vulgari, sed abstrusiore doctrina curatis, atque ad effectum dato intervallo, cinericiæ sex formæ,& ossiculum pectori applicantur. Sinusq; sueto amicimine obnubitur.

50 Vicarius stola sumpta, Cruce, aquâque lustrali cum accensis cereis paratis, deprecationes,& exorcismos, quibus ab obsessis dęmones, eorũ,& illusiones magicæ, vanaque veneficia propulsãtur, Romano recitat devotè ritu. Parvula catholicam iussa profitetur fidem. Ac præcunctis prolata nil hæsitans verba profert. Satanæ, omnibusque operibus eius, pactis etiam tacitis, vel expressis abrenunciat. Seque lætissima asseverat eam fidem tenere,& credere, quam sancta Romana Ecclesia mater, & magistra nostra docet,& tenet, singulaque mysteria ipsius enuntiat,& se in ea vixisse gaudet,& morituram protestatur. In eiusque testimonium Apostolorum ultronea clara, altaque profert symbolum.

51 Ad hoc plures convenerant spectaculum, post tres circiter horas, nullusque in ea esse motus, cineres, & ossiculum amoventur, aliaque reponuntur ossuum fragmina.

52 Plures discessere, Vicarius tamen cum notario,& alijs non longe à lectulo manet. Ac eam continuò intuetur, si qua in vultu turbatio. Ad solis occasum, advertit angorem, preces, & exorcismos resumit. Magnaque religione, ut sapiens omnia exequitur exorcista. Pusilla solito anxia afflictatur ardore. Deficientibus sensibus, ac si devixisset, exanimatur. Vocati, qui abierant, redeunt,& ex medicis unus præstò adfuit. Eoque diligenter cũcta advertente: Vicarius singillatim ossa educit. In cubiti cavi fragmine sanguis recentissimus cernitur. Excipit medicus,& accuratâ circumspicit cõsideratione. Eius recognitis ex extremis sanguinem erupisse certissimò noscit. Ab eaque parte non tam largè, quæ carni hæserat. Digito cruorem tentat intento, verissimumque asseverat, supra vires naturæ prodigiosè fusum. Hoc tanto perhibito testimonio, quod omnibus adstantibus notissi-

mum, nec erat, qui ambigeret, iudices, ipseque medicus, & alij notario exscribente subscribunt.

53 Postera die Aprilis decima iudices manè testibus adhibitis in puellæ sinu plura ossicula reponunt, nec temporis multa intercapedine, pro more doloribus ignitis correpta animo defecit. Promuntur apposita, & ex ossiculo largus sanguinis tantumodo fluxus. Id autem minimum erat, nec avellanâ maius. Verspere autem alijs appositis ossium particulis nullus ex ijs prodijt sanguis. Tunc parvula heris est restituta. Sequentibus diebus sæpius emissus. Hæc autem omnia publicis notata tabulis ad Ordinarium sunt transmissa. Cordubæ octavo Maij, cIo Ioc XXXI.

Bernardus Iosephus Aldrete

de Loy
da ar Jora

Por la orden

Amen a dios y de los buenos Dominicanos

Por escrituras mui S.r me Pareció
nulas en medio Pero yo Por buen fin
firmar Pasare monte de acero

Fr. Joseph de la
Concepcion

Amestoy de
Madrid

Isaias. 66 =
Capuc. 54 =
Capuc. 26 = Rossis.